



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

N.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Elementum Musicae est unisonum. Musica est plurium dissimilium in unum redactorum concordia. Rich. à S. Viêt. tr. Exposit. l. 1. c. 8.

Restat, ut arbitror, Musicorum voluptas. Habes organum ex diversis fistulis Sanctorum Apostolorum, Doctorumque omnium Ecclesiarum, aptatum quibusdam accentibus, gravi,

acutò, & circumflexò: quos Musicus ille Dei, Spiritus S. per verbum tangit, implet; & resonat. S. Prosper de promissionibus &c.

Musici, diaboli sunt adulescentes, Ugo Carenf. in c. 9. Prov.

Musicam Philomela debemus, si Democrito fides. Nieremberg. hist. nat. l. 1. c. 13.

N.

TITULUS I.

NATIVITAS D. JESU.

§. I.

Figurata, & praeclara.

S Ara uxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen ejus Isaac. Gen. 17. 19. Isaac risus interpretatur, quò nomine rectè seminis Abraham, qui est Christus, felix nativitas significatur: qui universitati Sanctorum, quorum ex carne vera caro, & verus homo ipse est, sempiterni risus, & interminabilis gaudii, causa est. Quod gaudium, vel quem risum, omnium pulchre unus illorum prae gustavit, clausus adhuc in utero: exultavit in gaudio insons &c. Luc. 1. 44. Rupertus l. 5. c. 35. in Gen.

Risum fecit mihi Deus. Gen. 21. 6. Quis est autem Spiritualis risus, & gaudium Electorum? nisi is, de quo Angelus ait pastoribus. Luc. 2. 10. evangelizo vobis gaudium magnum. Dion. in Matth. Carth. 1. 2.

Hec est Bethlehem. Gen. 35. 19. id est, domus panis, à fertilitate, quae ibi fecit post famem; quae acciderat tempore Elimelech, ut habetur Ruth c. 1. 1. Sicut Rachel Benjamin, ita B. Virgo peperit Christum in Bethlehem; quasi suum Benoni, id est, virum dolorum. Ephrata Hebr. significat fertile, fructiferum: est enim hic locus fertilis. Cornaelius hic.

Oritur stella ex Jacob. Num. 24. 17. De Christi nativitate manifesta, & vera, est prophetia: qui & ipse stella clara est, & matutina. S. Rupertus hic.

O si quis mihi daret potum aquae de cisterna, quae est in Bethlehem! 2. Reg. 23. 15. Sitiebat David non aquam de lacu, qui est in Bethlehem; sed oriundum ex Virgine Christum cu spiritu praevidebat, volebat ergo bibere, non aquam fluminis, sed potum gratiae spiritualis: hoc est, non aquarum sitiebat elementum; sed sanguinem Christi. S. Ambros. lib. de Apologia David c. 7.

Nunquid volet rhinoceros servire tibi? aut morabitur ad praesepe tuum? Job. 39. 9. q. d. ferox animal rhinoceros: nunquid vires, & industria, sunt tibi o Job, ut reti intercipias, & mansuetum deducas oneris bajulum in stabulum? ut eodem, quò asinus, & bos, saginetur pabulo? imbecillae sunt tantae victoriae homini vires: soli Deo in praesepe recumbenti servatur rhinocerotis domi triumphus.

Non miror Imperatorum de hostibus reportatas victorias: stupeo mansuetas belluas, barbaras gentes, sub jugo Christi servicem submittere. Arcones in fl. 1. Disc. 5.

Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis sylva. Pl. 131. 6. gratulatur David de inventa arca. Natum Jesum in spelunca Bethlehemitica Vates inveniatur; & inventa arca Corporis Domini, exultat. Theodoretus: Ephrata illa, quae nunc appellatur Bethlehem, nominabatur: ibi enim Christus D. ortus est. Sed cur Bethlehem, & specus nati Christi, campus Sylvae vocatur? quia Sylva latibulum bestiarum. S. Ambros. l. 2. de S. Spiritu c. 11. illa Sylva, ad quam Paulus lupus quidem raptor intravit; sed pastor exivit. Erasmus ergo fera: sed, per Spiritum S. jam leonum saevitia, pardorum varietas astutia vulpium, luporum rapacitas, de nostris exolevit affectibus. Magna igitur gratia, quae coelo terras mutavit; ut conversatio nostra, sicut Apostolus dixit, in coelis sit; qui ante, sicut fera errabamus in Sylvis. Arcones in fl. 1. Disc. 5.

Oritur sol. Eccl. 1. 5. id est, Christus de Virgine; & occidit in cruce; & ad locum suum, id est, coelum empyrium, vel ad sinum Patris revertitur in Ascensione. Hugo Card. hic. Oritur in Nativitate ad illuminandum; occidit in Passione ad redimendum: Occidit sol in meridie, id est, in vehementi amore charitatis; ad locum suum vertitur in ascensione; flectitur ad aquilonem in extremo examine. S. Bonaventura hic.

Indica mihi, quem diligit anima mea: ubi cubes in meridie? Cant. 1. 6. Per meridiem Christi accipe crucifixionem: in meridie, enim crucifixus est. Et Crux Christi Ecclesiae, & Fidelibus, contra omnes perfectionum, & tribulationum, astus, certum, fidumque, praestat umbraculum. Aurora ergo vitae Christi fuit in Nativitate, dies in praedicatione, meridies in cruce, vespere in sepulchro. Ita Philo Carpath. in Cant. hic.

Septuaginta hebdomadae abbreviate sunt: & ungatur Sanctus Sanctorum. Dan. 9. 24. Nativitas Christi post septuaginta hebdomadae annorum à tempore Danielis in Christo impleta est: quia ab illo tempore usque ad regnum Herodis tot hebdomadae transierunt.

Una

Una autem hebdomada continet septem annos; omnesque simul continent circa quadringentos annos. Dion. Carthuf. in Matth. 1.

In medio annorum notum facies &c. Habac. 31. Septuag. *in medio duorum animalium cognosceris.* Tu, qui olim te manifestabas inter duos seraphinos clamantes *Sanctus, Sanctus, Sanctus!* If. 6. 3. & qui representaris per arcam foederis, quæ in medio erat duorum Cherubim splendentium velut aurum. 3. Reg. 8. 6. jaces in vili loco inter duo bruta. Hic cognoscitur tua immensa charitas, misericordia, sapientia, bonitas, & omnipotentia. Ibi agnitus à regibus, & pastoribus, de Ponte in Cant. 1. 6. Exh. 4. §. 2. Christus, inter bovem, & asinum, collocatus reipsa clamat illud. Ps. 72. 23. *ut jumentum factus sum apud te.* ut tibi serviam per omnia, & totus, uti jumentum servit hero. Jumentum ergo designat summam Christi humilitatem, obedientiam, resignationem, labores, patientiam, ac tandem sacrificium, & mortem. Jer. 11. 19. *ego quasi agnus mansuetus;* ubi Vatablus, Pagninus, & alii: *ego autem sicut agnus,* & bos. Cornelius in Hab. 3.

Quid est, quod Sancti Patriarchæ in Chananaeorum terra sua corpora quiescere tantò desiderio concupiscunt? nisi quod humanæ salutis authorem illie inoverant de suo semine nasciturum. Petrus Damiani f. de translat. corporis S. Hilarii.

§. II.

Nascentis Christi in nos amor.

Rogavit me enixe, ut iret in Bethlehem. 1. Reg. 20. 28. ait Jonathas de Davide: & ait: *dimitte me, v. 29. quoniam sacrificium solenne est in civitate; unus de fratribus meis accersivit me.* Quam solenne sacrificium offertur in præsepio! puer ille, frater noster, omne vocat. Tacitus dicis, quod olim Joseph: *fratres meos quæro.* Alvarez Gen. 37. Illustr. 30.

Osculetur me osculo oris sui. Cant. 1. 1. Tunc quodammodo venientibus ad se osculum dedit quando Unicum suum in homine nasci voluit. S. Justus Orgelii, hic.

Sicut malus inter ligna Sylvarum &c. Cant. 2. 3. Quæ laus, sponsum humili arbori comparare? cum de se, qui est Sapientia æterna dicat Eccl. 24. 17. *quasi cedrus exaltata sum.* Cur non his arboribus, sed parvæ malo, sponsum assimilavit? Fateor, ait S. Bernardus, parva laus, quoniam parvi laus. Non enim hoc loco prædicatur magnus Dominus, & laudabilis nimis; sed parvus Dominus, & amabilis nimis. Ergo non majestas attollitur hic; sed commendatur humilitas. Adde etiam; commendatur & charitas: nam sic DEUS dilexit nos, ut humilis, & parvulus, fieret propter nos. de Ponte. hic Exh. 24. §. 3. Erat teste Pieriôl. 54. malus hieroglyphicum amoris: eo quod jucundus esset pomorum ejus gustatus, & aspectus. Amores natos esse di-

cebant sub malo; sub ea lustrare amantes; malis se pectere, & donare. Unde paulò post sponsa subjungit v. 5. *stipate me malis, quia amore langueo.* Et ad finem. Cantici 8. 5. sponsus ait: *sub arbore malo suscitavi te;* id est, cepi te amare. Comparat igitur illum malo: quia ex amore apparere voluit homo inter filios hominum; sicut malus inter ligna Sylvarum. Id. ib.

Cum videritis nubem orientem &c. Luc. 12. 54. Theophylactus intelligit de adventu Domini in carne. q. d. Christus ad Judæos: oportebat vos veluti nubibus imbrem, & ab austro æstum conjectatis; sic etiam tempus hujus mei adventus probare, & conjectare: quod non venerim mittere pacem sed imbrem, & tribulationem. Nubes enim & ipse sum, & ab occidente humanæ naturæ venio, quæ prius fuit humilis. Sed etiam veni ignem mittere, & æstum facere. Austro enim sum, spiritus fervidus, & frigiditati aquilonis contrarius: quandoquidem in Bethlehem apparui, quæ ad Austrum sita est. Itaille hic.

Jacet Deus in præsepio, quasi quidam adamas; trahens ad se per charitatem, jumenta, pastores, reges. S. Albertus M. l. 5. de Nativ.

O quanto labore, & quam ferventi amore, quæsit animam amorem Jesus; Virginis uterum vix egressus est; & dilectam animam more infantium vocat: A! A! A! Anima mea! anima mea! anima mea! te quæro; pro te inveniendâ hanc peregrinationem assumo. S. Bernardinus l. 51. Art. 2.

§. III.

Christus nobis natus, omnibus utilis.

Ego flos campi, & lilium convallium. Cant. 2. 1. Hodie divinus Redemptor, flos campi: in domo sine januis, nascitur: ut ad eum omnibus pateat aditus. Diez, Nativitas Dom.

Parvulus natus est nobis. If. 9. 6. Nobis, inquam, non sibi. Utamur nostro in nostram utilitatem; de Salvatore salutem operemur. S. Beraardus hom. 3. Sup. Miss. Verè tu misericors puer natus es nobis, non tibi: lucra nostra, non augmenta tua, nascens de nobis quæsisisti; Guarricus Abb. l. 3. de Nativ. D. Prorsus admirabile commercium! ut sumens carnem, largiaris deitatem! ut sumens carnem, charitate, non cupiditate, contractum; indulgentiæ quidem tuæ gloriosum; sed indigentiae meæ omnino lucrosus. Verè tu misericors puer natus es nobis, non tibi. Idem ib.

Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis. If. 9. 6. Cum dicitur *filius*, non dicitur natus, sed *datus*: ut detur discrimen inter hunc filium, & alios: alii filii nascuntur parentibus. Sic natò Seth dixit Eva: *posuit mihi Deus semen aliud pro Abel!* Gen. 4. 25. Sic Abraham de Sara dicit Deus: *ex illa dabo tibi filium.* Gen. 17. 16.

Uxor

Uxor Elisabeth pariet tibi filium. Luc. 1. 13. At Iesus veniens in Mundum non tantum dicitur natus, sed datus omnibus in salutem. Hinc Luc. 1. 31. *concipies & paries filium*: non dicit sibi. Hinc mater natum non tenet in sinu, sed *reclinavit eum in praesepe*; tanquam hominibus eum tradens. Sylveira additamentum in Joan. 1. q. 8.

Pariet filium. Matth. 1. 23. Theophylactus: non dixit, pariet tibi; sed simpliciter *pariet*: non enim peperit illi, sed toti orbi: neque illi soli gratia facta est; sed in omnes effusa est.

Ille parvulus, ille infantulus fuit, ut tu vir possis esse perfectus: ille involutus in pannis; ut tu laqueis absolutus sis: ille in praesepebus ut tu in altariis; ille in terris; ut tu in coelis: ille alium locum in eo diverforio non habebat; ut tu plures haberes in coelestibus mansiones. Meum ergo paupertas illius patrimonium est: & infirmitas Domini mea est virtus. Maluit sibi egere; ut omnibus abundaret. Meos vagientis infantiae ablunt fletus; mea lacrymae illae delicta laverunt. Plus igitur Domine Iesu injuriis tuis debeo, quod redemptus sum; quam operibus, quod creatus sum. Non prodesset nasci, nisi redimi profuisset. S. Ambrosius in Luc. 2.

Totus mihi datus, & totus in meos usus est. S. Bernardus f. 3. in Circumcis. D.

Nascitur Christus non sibi, sed nobis. Nascitur autem Filius Dei in homine; ut vel ita Conditorum suum intueri cuperet Mundus. S. Gaudentius tr. 9. sen. 2. delectione Evangelii.

§. IV.

Christus parvulus est, noli timere.

Vocem tuam audivi in paradiso, & timentus. Gen. 3. 10. Sed dum Angelus pastoribus dixit Luc. 2. 10. *nolite timere*; timore omni deposito confidenter dicunt: *transseamus usque Bethlem.* v. 15. Neque magi eum accedere timuerunt. Ubi Adam peccavit, Verbum necdum naturam nostram assumpsit: sed cum homo natus; terrorem deposuit. S. Bernardus f. 1. de Nat. D. noli fugere, noli timere: non venit cum armis; non puniendum, sed salvandum requirit. Et ne forte dicas etiam nunc: *vocem tuam audivi & abscondi me.* Gen. 3. 10. ecce infans est, & sine voce: nam vagientis vox magis miseranda est, quam timenda. de Castillo Illat. 58.

Intrate in conspectu eius in exultatione. Pf. 99. 2. Quis exultans ante terrorem Majestatis supremæ? Archangeli tremunt, pavent Angeli, Potestates metuunt, in faciem cæli prouertunt Seniores: elementa fugiunt, solvuntur saxa, montes desuunt, terra tremit: & homo terræ quam intrepidus intrabit? Unde est? quod Propheta hoc nos debere facere sic præsumit? unde est? ex eo, quod sequitur: *sitote, quoniam Dominus ipse est Deus.* v. 3. Quia Dominus ille Deus est, qui fuit in carne nostra pusillus. Hinc est, quod ille Dominus Deus est, qui fuit in cunabulis nostris capax, dulcis in gremio, mitis in habitu, in nostro contubernio blandus. S. Chrysostomus f. 6.

Mare vidit, & fugit; Jordanis conversus est retrorsum. Joan. 3. 16. Pf. 113. 3. *Fugit Polyanth. Sac. Tom. II.*

git mare, & Jordanis: quia divinam præsentiam formidant. Non sic Jordanis, cum Christus inter ejus undas tingeretur. Matth. 3. 13. & ambularet super mare. Matth. 14. 26. S. Cyrillus. Jerof. Catech. 12. venit Christus ut baptizaretur, & baptisma sanctificaret; venit, ut miracula operaretur ambulans super aquas maris: quoniam, ante carnis assumptionem, *mare vidit illum, & fugit; Jordanis conversus est retrorsum.* Assumpsit corpus Domini, ut mare videns sustineret, & Jordanis finem timore illum susceperet. de Castillo ib.

Invenietis infantem pannis involutum, & positum in praesepe. Luc. 2. 12. Olim homines quatuor ob causas de Deo conquerebantur. 1. quod eam, quam vellent, facilitate Deum invenire non possent. Pf. 41. 4. *suerunt mihi lacrymae ubi est Deus tuus?* 2. quod manus habeat graves. Job 13. 21. *manum tuam longe fac a me.* 3. Severè eum, & asperè, loqui. Ex. 20. 19. *non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* 4. quod sedeat in throno tantæ majestatis, ut alloqui eum non auderent. Il. 6. 1. *vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum &c.* Nunc igitur nuntius Dei dicit: *invenietis infantem &c.* q. d. nulla jam est querelæ causa. Querebamini, quod inveniri non posset; nunc *invenietis.* Querebamini ejus verba esse aspera; nunc *invenietis infantem*, qui est æterni Patris Verbum; & lacrymis, & vagitu, suaviter, & amanter, loquitur. Querebamini, quod manus habeat graves; nunc *invenietis infantem pannis involutum*; nunc vincas habet manus. Querebamini, in sublimi throno sedere; nunc *invenietis positum in praesepe*; non Seraphinis, sed animalibus, cinctum. Diez. conc. 3. in Nat. D.

Noli fugere, noli timere; non venit cum armis. Non puniendum, sed salvandum requirit. Parvulus factus est, tenera membra Virgo mater pannis alligat; & adhuc timore trepidas? S. Bernardus f. 1. in Nat. D.

Parvulus natus est nobis, mitis, & humilis. Ad parvulum accedere quis formidat? parvulorum mores omnes agnoscitis; unâ lacrymulâ placatus offensus; injuriam non recordatur. Accedite ergo ad eum peccatores, nunc dum parvulus est; dum generis, & majestatis, videtur oblitus. Accedite, nolite timere; irasci nescit, ferire non novit. S. Thom. Vill. f. de S. Steph.

Nascitur parvulus, ut non formides potentiam; nascitur nobis parvulus, ut non formides justitiam. Deum habemus parvulum; ut eum cupere possimus. S. Bonavent. f. 13. in Nat. D.

Deus in summa paupertate, & nuditate, natus; ut inde se accessu facilem prædicaret. Quidquid magnum excelsum, Verbum in Mundo nascens in primis deposuit; ne majestate deterreret homines; sed vilitate, & facilitate caperet, & alliceret: non in tonitruis, non in nube, non in igne, neque in tubæ sono; sicut olim Judæis apparuit. Theodotus or. de Chr. Nat. propterea non venit cum imperiali fastigio;

zio; nec obsequium deduxit Angelorum; non movit Archangelorum exercitus; sed venit omnium Dominus in forma servi, paupertate circumamictus; ut venationem non effugaret. Baezal. 2. c. 2. §. 2.

§. V.

*Nativitas Christi plena gratis,
solatis, benignitate.*

Nonuit super puerum &c. 4. Reg. 4. 34. Quid ostendebat in baculo, qui suscitare non potuit; nisi legis offensionem? Et in Elizeo significabat Christi nativitatem; qui se habuit minorare, assumens quod non erat; non amittens, quod erat: & suscitaret mortuum, id est, genus humanum, quod acceperat sententiam primi hominis: *morte morieris*. S. Chrysostomus in Ps. 22.

Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere: festina prædari. Isa. 8. 3. Quid est illud, quod scribitur humano stylo, ut puer natus velociter spolia detrahat, & cito prædetur? hoc est, ne ultra patiat regnare diabolus; nec mittat angelos, nec Prophetas; sed ad salvandas creaturas suas ipse descendat. S. Hieronimus l. 3. hic.

Consolamini, Consolamini, populo meus, dicit Deus vester. Il. 40. 1. dicit hoc Emmanuel vobiscum Deus. Clamat hoc stabulum, clamat præsepe, clamant lacrymæ, clamant panni. S. Bernardus f. 7. de Nat. D.

Ubi est, qui natus est, Judæorum? Matth. 2. 2. Quam certa, atque securâ, interrogatio! Jam Romani legem dederant, ut sub periculo mortis nemo alium regem vocaret, sine eorum consensu. Fuit quoque præceptum, & Magis non ignotum; quod, qui, rege vivente, alium regem pronuntiat, aut adorat, puniatur in sanguine. Quomodo ergo Magi audient, vivente, & regnante, Herode, in ejus præsentia, sine Romanorum consensu, regem alium profiteri? Procul dubio istam eis audaciam puer natus influxit: nondum viderant Christum; & jam parati erant mori pro Christo. Dion. Carthusius hic.

Et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth. Matth. 2. 23. S. Bernardus de Pass. D. c. 43. Nazareus florem interpretatur. Quid enim jucundius flore? Multi autem, imò omnes, id est, omnium virtutum flores, in nostro Nazareo sunt; quarum delectabili odore totum Mundum traxit post se. Apud Sylveira, hic.

Peperit filium suum primogenitum. Luc. 2. 7. Nota: Christum D. mediâ nocte fuisse natum; quando homines rerum omnium, & sui etiam, obliti, in utramque, sine curâ, aurem dormiunt. Unde Cant. 5. 2. *ego dormio, & cor meum vigilat.* Cor meum, id est, sponsus meus, amor meus: qui cor meum est, en ipse vigilat. Stella hic.

Humanitas, & benignitas Apparuit &c. Tit. 3. 4. Ubi Dei innotescit Humanitas, jam

benignitas latere non potest. S. Bernardus f. in Epiph. D.

Quanto minorem se fecit in Humanitate, tanto majorem se exhibuit in bonitate: & quanto pro me vilior, tanto mihi charior est. Id. ib.

Consilium antiquum prodiit palam, nec jam secretum est; sed innotuit publicè in conspectu Gentium revelata Christi benignitas. S. Cyprianus de Nat. D.

Hodierni mysterii Sacramentum, virtutum nativitas, ruina vitiorum. S. Greg. Naz. hom. 4. in Nat. D.

Immolata pro nostra redemptione caro Christi, totius Trinitatis lætitia est. S. Eligius hom. 8.

Deus in terra agit, & quis in cælum non evadat? Deus ex Virgine natus in medium prodit, & quis hodie divinus non efficiatur? S. Sophronius or. in Nat. D.

Hodie fratres charissimi, Christus natus est nos renati. S. Greg. Naz. hom. 1. in Nat. D.

Jesus Christus Filius Dei nascitur Bethlehem Judæ. Tanta est gratia sermonis hujus, & continuò incipiat minus sapere, si vel unum jota mutavero. S. Bernardus f. 1. in Vigil. Nat. D.

Positus in præsepio, spiritualium cibis effectus est jumentorum. S. Bernardus hom. D. infra octav. Epiph.

Quanto pro me egit viliora, tanto bonitatis suæ dedit indicia majora. Ipse parvulus lætulus; ipse pullus est indutus. Gilbertus f. 2. in Cant.

Exhibet se nobis puerum in remissione peccatorum. Si offendisti puerum; cito, & modico, & pomò, vel ovò, ei reconciliaris: sic & peccitans Christo. S. Bonavent. l. 1. in Epiph. Dom.

Et hæc gratia nobis hodie apparuit, dum celavit Deus potentiam in infirmitate, sapientiam in infantia, justitiam in pietate, & circumcisionis satisfactione. Tanquam impo-
suerit Deus silentium eis, & dederit audientiam totam misericordiam. Joan. Gerson f. de Circumcis.

Gratias tibi, Pater misericordiarum, & DEUS totius consolationis; quia cælesti sapientiam in infantuli ætate, ne accuset; justitiam in Humanitate, ne condemnet: potentiam in infirmitate, ne læviat, & cruciet: quibus superatis datur triumphus gratiæ, datur & misericordiam; ut dominetur, & superexaltet judicium. Id. f. in Pur. B. V.

B. Virgo ipsa nocte Nativitatis revelavit S. Brigittæ, ut ipsa refert f. 6. revel. c. 88. dicens: cum nasceretur ex me, indicibili exultatione, & mirabili festinatione, clauso meo utero virginali, prodibat.

§. VI.

§. VI.

*Priori affinis: in fines nobis utiles
Christus natus.*

Exiit edictum à Cesare Augusto, ut describeretur universus orbis. Luc. 2. 1. Quid est, quod nascituro Domino Mundus describitur? nisi hoc; quod apertè monstratur: quod ille apparebat in carne, qui Electos suos describeret in aeternitate. S. Greg. hom. 8. in Evang. Jesus Christus rex nobilis, rex magnus, homo celestis, homo novus; idcirco natus, idcirco Rex datus est: ut Provinciales suos in libro vitæ conferberet; ut civium suorum nomina in Curia celesti notificaret. S. Rupertus l. in Evangelia c. 4. Voluit Dominus tempore descriptionis nasci, ad innuendum; quod appariturus erat in carne, qui suos adscriberet in aeternitate. Hugo Card. hic.

Ita Deus, ut piissimus, & misericordissimus, præ desiderio, vel amore, hominis; non solum sua, verum etiam & se ipsum, impendit; ut hominem recuperaret non tam sibi, quam homini ipsi. Ut homines ex Deo nascerentur, primo ex ipso natus est Deus. S. August. Man. c. 26.

Filius Dei factus est filius hominis, ut filios hominum faceret filios Dei. S. August. f. 1. de S. Steph.

Deus homo factus est, ut homo Deus fieret: & ut servus in dominum verteretur, formam servi Dominus accepit. S. August. de divers. f. 52. in Nat. D.

Ut panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum factus est homo. Id. f. 53. ib.

Deus natus est ex homine, ut ex Deo homines nascerentur. B. Fulgentius l. de Incarnat. & gratia Christi.

Cum Filius sempiterni esset Dei, etiam filius David esse dignatus est: modò ut te filium faceret Dei. Servum patrem habere dignatus est; ut tibi servo Patrem faceret Deum. Natus est secundum carnem; ut tu nascerere spiritu: natus est ex muliere, ut tu desineres filius esse mulieris. S. Chrysost. hom. 2. in Matth. cap. 1.

Magnificetur & à nobis parvulus magnus Dominus; quos ut faceret magnos, factus est parvulus. S. Bernardus hom. 3. Sup. Miss.

Qui per ætatum incrementa dignatus est crescere, valet etiam nos de minimis ad majora provehere; & teneram nostri sensus infantiam perfectionis suæ gratiâ roborare: qui nimirum idcirco parvus in nostris fieri dignatus est, ut nos in suis magnos efficeret. Idcirco nostram infirmitatem pertulit, ut nos suæ virtutis plenitudine solidaret. Ut nos erigeret, se misericordialiter inclinavit. B. Petr. Damiani f. in Nat. D.

§. VII.

Nascentis Christi gloria, splendor.

Principes cessabant loqui, & digitum superponabant ori suo. Job. 29. 9. *Cum quietum silentium continerent omnia &c.* Sap. Polyanth. Sac. Tom. II.

18. 14. Venit sermo in silentio, venit sermo ad silentes. Urbana inter homines, & curiales, consuetudo est; ut, cum honorator, & præpotens persona loqui voluerit, tenent, qui circumstant, silentium. Quando igitur Deus deorum locutus est, silent Prophetæ, & conticescunt. Petr. Blesens. f. 6. de Nat. D.

Herodes rex turbatus est. Matth. 2. 3. Nascente Domino conturbatur Herodes, & omnis Jerosolyma cum illo. Ecce jacentem in præsepio pertimescit armatus, contremiscit humilem rex superbus, obvolutum pannis meruit purpuratus. S. August. f. 2. de SS. Innocentibus. Terret homines illa pueritia in cunabulis vagiens, & in voluta in fasciis, & in præsepio reclinata: ut jam ex ipso exordio sciant; quantà sit potestate donandus, quantò sublimandus imperiò, quantò terrore pressurus impios, quantò munere remuneraturus pios. Simon Cass. l. 1. c. 12.

Puer corpore parvus, Mundi rector, & Dominus: & genitricis gremiò continetur, qui nullò fine clauditur. S. Leo. f. 7. in solennit. Epiph.

§. VIII.

Virtutes, quas Christus in Nativitate exercuit.

Num. I.

Humilitas.

In civitatem David, quæ vocatur Bethleem. Luc. 2. 4. S. Leo. f. 1. de Epiph. Bethleem prælegit nativitatì, Jerosolymam passioni. Locus angustus deputatur nativitatì, ubi gloria erat decantanda: Jerusalem civitas magna passioni conferatur; ubi ignominie manifestantur. Sylveira hic.

Invenietis infantem pannis involutum. Luc. 2. 12. Multa posset Angelus dare signa, quibus puerum recens natum agnoscerent, & latentem divinitatem adorarent. S. Bernardus f. 4. in Nat. D. aut certe coelitus annuntiatur humilitas; quia hæc quasi propria virtutis divinae exhibenda sit majestati. Pinna. Ethol. 257.

Vide Humilitas Christi.

Num. 2.

Paupertas.

Passer in venit sibi domum, & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos. Ps. 83. 4. At passer Joseph vir celestis; & turtur Maria Virgo castissima, non invenerunt domum, ubi ponerent hunc pullum pretiosissimum. de Ponte in Cant. 1. Ex. 4. §. 4.

Pannis eum involvit. Luc. 2. 7. Vilitate pannorum tecta est illa superba nobilitas, quam ex suggestione Sathanica deseruit Adam. Initiavit caput Ecclesie Christus viam novam in his bonis, quæ Mundus abhorret, & dilexit, quæ Mundus odio habuit. Cæpit ab ea hora, quò Mundo apparere voluit, prius facere, quam docere, altissimam paupertatem, rerum omnium abdicationem; ut ei non essent panni, nisi viles; non sua, sed aliena ades; non conducti stabuli determinati hospitis, sed loci

Y 2

vagi,

vagi, acque communis; ut non crederetur natus alicui prius; sed communis omnibus factus; & totum diceretur divinum, ubi nihil apparebat humanum. Sim. Cass. l. 1. cap. 4.

Ignovientis infantem. Luc. 2. 12. Quæ est ista Evangelizatio Angelica? ut ad signandum Jesum Christum Dominum, in vultum pannis, reclinatum in præsepio clamer? sunt ne ista tria, infantia, pannorum involutio, situatio in præsepio; perfecte signantia Salvatorem? Et ea signa se contulit ostendenda, quæ ostendunt Deum ab humanis rebus liberum existitum. Et ingressum, & egressum a Mundo, voce concordare; ut in paupertate natus, in illa etiam moreretur. Sicut natus involutus est pannis, sic mortuus sindone involutus est. Et sicut reclinatus est, & positus in alieno præsepio; sic positus est in alieno sepulchro. Id. l. 1. c. 4.

Abfconde Maria novi solis fulgorem, pone in præsepio, involve pannis infantem; nam & ipsi panni divitiæ nostræ sunt; Pretiosiores siquidem panni Salvatoris omni purpurâ; & gloriosius hoc præsepe auratis regni solis: ditiore denique Christi paupertas cunctis opibus, cunctisque thesauris sæculi. Quid enim humilitate ditius? &c. S. Bernardus invigil. Nat. D.

Onovitas summa! & paupertas stupenda! nam regnat in coelo, qui jacet in fœno; qui fecit omnia, locum habere non potest in diversorio; sed locatus est in præsepio. Qui continet omnia, brevi involvitur panno: qui pascit volatilia, lacte pascitur modico. S. Bonavent. f. 13 in Nat. D.

Pauper mater, pauper filius, inops hospitium, his, qui in Ecclesia in forma hujus scholæ militant, præbent efficax documentum. S. Cyprian. de Nat. D.

Num. 3.

Aliæ virtutes.

Tempus pacis elegit Dominus, in suam Nativitatem: quia pacem diligit. Haymo hom. in nocte Nat. D.

Jam clamat exemplò, quod postmodum docturus est verbò: *discite a me, quia mitis sum, & humilis corde.* S. Bernardus f. 1. in Nat. D.

§. IX.

Bethleem, & Antrum.

Noluit cum Dominus desoris. Gen. 7. 16.

Ego supra omnia virtutem justis admiror, Domini que bonitatem, & ineffabilem misericordiam; quando considero, quomodo potuerit versari in medio bestiarum. Mirare magis puerum Jesum in stabulo Bethleem. Arcones in Is. 1. Disc. 5. Pro unaquaque rerum nostrarum unaquæque res ejus, qui nobis sublimior, est repensâ. Christus propter Adamum: idcirco

generatio, & virgo; præsepium, & Bethleem, Generatio propter effusionem; Virgo propter mulierem, Bethleem propter Eden, præsepium propter paradisum. S. Greg. Naz. or. 1. Apolog.

Percussit cor suum David. 1. Reg. 24. 6. eò quod abscessisset oram chlamydis Sauli. Cur cor percussit? credo, quia in spelunca hoc factum: in spelunca viderat Christum plorantem nasciturum. Eusebius t. 3. Colloq. Chr. l. 4. f. 2. obs. 4.

Et tu Bethleem Ephrata. Michæ 5. 2.

Nota: Bethleem hic nuncupatur à fertilitate loci; nam Hebr. idem est, quod *domus panis*; id est, locus ferax frumenti, & vini. Nam, ut scribit Adrichomius in descriptione terræ sanctæ: Bethleem sita est in monte mediocriter alto; terra subiecta rerum omnium copiâ multum præstat, vini potissimum; ut comparandum non sit, quod ex aliis Palæstinæ locis affertur. Iter verò, quod Jerosolymâ euntibus Bethleem est, usque adeò sui amœnitatē, arboribus, hortis, odoratis herbis, transeuntes oblectat; ut si ad tam præclaram naturæ faciem cœlestis aliqua, & digna Christiano, meditatio accedat; non jam in terris sibi esse videatur, sed in paradiso Christi nativitatem, & in cunabula, præsentibus oculis contueri. Cornelius hic. Bethleem distabat à Jerusalem sex milliaribus: à Nazareth verò, ex qua B. Virgo venit in Bethleem, distabat itinere tridui. Scribit B. Beda lib. de loc. Sanctis c. 8. Borchardus, Adrichomius, & alii: in Orientali angulo Bethleem esse rupem ipsi muro adjacentem; ab hominum turba, & oculò, semotam; in quo, quoddam quasi naturale semiantrum est; quò quasi stabulò pro pecoribus utebantur; cujus exterior pars Nativitatis Christi fuisse dicitur locus. Ex hac rupe miraculose scaturivisse fontem aquarum eâ ipsâ nocte, qua natus est Christus, eumque ad sua tempora durasse, scribit Beda loco citatò, & ex eo Baronius. Ex Bethleem pro dierum plures principes, & illustres viri. Primus fuit Abesan Judex, id est, princeps Israelis, qui habuit triginta filios, & totidem filias. Judic. 12. 8. Secundus Elimelech maritus Noemi. Ruth. 1. 2. cujus filio nupsit Ruth, & eò mortuò nupsit Booz; ex quo genuit Obed patrem Jesse, ex quo natus est David. Tertius David rex; à quo tota familia regum Israel, & Juda, descendit, usque ad ultimum regem S. Jeciam. Cornel. ib.

Scribit S. Hieronymus ad Paulinum ep. 13. Adrianum Imp. Bethleem profanasse, erecto ibidem Adonidis simulachro; ut in specu, ubi quondam Christus parvulus vagiit, veneris amasius plangeretur. Stetit ibi Adonis per cœ-

centum octuaginta annos, usque ad Constantinum Imp. quando S. Helena ejus mater, everso Adonide, magnificam Ecclesiam supra ipsam specum extruxit; & super ipsum praepe, in quo Agnus Dei reclinatus est, erexit altare; in quo idem jugiter Deo offerretur, qui ibi primò pro salute hominum illuxerat. Sed & Constantinus eandem specum regalibus ornamentis ex auro, argento, variis aulæis, exornavit: ita ut hæc Basilica meritò esset miraculum; nec in orbe quidquam esset ei simile: nam excelsa est admodum: & amplissima. Quilibet ordo habebat quinquaginta columnas, singulari artificio, pretio, & sumptu. Parietes tabulis ex alabastro pretiosissimis sunt incrustati. Quocirca ipsi etiam Turcae, & Saraceni, reverenter hoc templum frequentant. Cæterum lapidis illa pars, in qua Christus dicitur natus; & praepeis pars, in quam fuit reclinatus; nudè patent, ad peregrinorum venerationem, & osculum. Lapis, in quem reclinavit Maria, & cui flexis genibus insedit, similitudinem habet sella. Itæ Burchardus, Adrichomius &c.

Bethlehem ex Hebræo in Latinum *domus panis* interpretatur: quia hic Filium Dei nasci oportebat, qui Panis est vitæ. S. Chrysost. hom. 1. in Matth.

O Bethlehem parva; sed jam magnificata à Domino: magnificavit te, qui factus es in te parvus, & magnus. S. Bernardus l. 1. in Vigil. Nat. D.

§. X.

Præpe.

Non est factum tale opus in universis terris. 3. Reg. 10. 20. Ecce plusquam Salomon hic. Matth. 12. 42. qui è suo isthoc folio docet veram sapientiam; paupertatis, & humilitatis, amorem. Doultreman de amorel. 2. c. 1.

Lectulus noster floridus. Cant. 1. 16. Septuag. *lectulus noster umbrosus.* Lectulus floridus præpe; floridus ob Jesum Nazarenum. de Ponte hic.

En lectulum Salomonis. Cant. 3. 7. Præsepium lectulus Salomonis: circa quem pax annuntiatur hominibus bonæ voluntatis. Id. hic.

Vidi Dominum sedentem super solium excelsum &c. If. 6. 1. Vidit quondam Isaias gloriam Christi sedentis in templo super solium excelsum, & duos Seraphinos stantes juxta illud, clamantes ad invicem *Sanctus &c.* Sed nunc ecce templum stabulum, præpe thronus. Adstant duo Seraphim Maria, & Joseph.

clamantes Sanctus &c. Id. in Cant. 1. 2. Exh. 25.

Magna cathedra præsepium illud; in quo residet divina sapientia, Magister orbis. Totum ibi legitur Evangelium: quidquid enim, o bone Jesu! postea verbò docuisti, hic statim ortus opere demonstrasti. S. Thom. Vill. l. 2. in Nat. D.

§. XI.

Nativitatem Christi cole, ama, imitare, non offende.

Arca Dei, & Israel, habitant in papi- lionibus, & ego ingrediar domum meam, ut comedam, & bibam? 2. Reg. 11. 11. Utinam hoc Christiani dicerent Dei Filius incarnatus, & sanctissima ejus Virgo Mater, in stabulo habitant; ego verò deliciis vacabo? nullo modò hoc faciam. Diez. conc. 2. in Nat. D.

Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli &c. Matth. 18. 3. Ad parvuli formam se componere debet, quisquis colere regna cupit hereditare. Sed ad cujus parvuli formam gratior erit conversio? pueruli Jesu formam subeat regni candidatus. S. Leo f. de Nat. D. amat Christus infantiam, quæ majorum dirigit mores; ad quam senum reducit ætates; & ad eos suum inclinat exemplum, quos ad regnum sublimat æternum. Baeza l. 1. c. 3. §. 4.

Quid in thesauro Dominicæ largitatis, ad honorem præsentis festi, tam congruum possumus invenire, quàm pacem; quæ in Nativitate Domini prima est Angelicò prædicata concentu? Ipsa enim est, quæ parit filios Dei, nutrit dilectionis, & genitrix unitatis; requies beatorum, & æternitatis habitaculum. S. Leo f. 6. in Nat. D.

Fratres, & vos invenietis hodie infantem pannis involutum, & positum in præsepio altaris. Sicut enim Mater Maria quibusdam asfementis pannorum involvit infantem: sic mater gratia dispensatoris speciebus rerum ejusdem sacri Corporis nobis obteggit veritatem. Guerricus Abb. f. 5. de Nat. D.

B. Margaritæ de Cortona dixit Jesus in Nativitate: filia, pete à me modò quidquid vis. Et illa: Domine Jesu! concede mihi, ut nunquam te offendam. Boll. 22. Febr.

Post mortem B. Margaritæ V. tertii Ord. S. Dominici memores Fratres, sape ab ea dictum in vivis, pretiosum thesaurum se in corde suo gestare; illud rimantur, & tres lapides vident mosaicorum magnitudine: in primo imago B. Virginis coronatæ, secundus puellum in præ-

sepi medium duobus animalibus, tertius S. Josephum, referebat. Boll. 13. Apr.

Alphonfus Rex Hisp. ipso nati Servatoris die monitus à suis Ducibus; facile nunc, & opportunè, hostes opprimi posse; respondit: pluris ego hunc unum diem facio, quam omnes victorias. Postea nihilominus felicissimam potius est victoriâ. Drexelius Delic. gent. hum. in appendic. de Nasc. Jesu §. 16.

§. XII.

Apparitiones Jesuli, beneficia.

PUERO, cum expectaret in templo Matutinum nocte Nativitatis, apparuit Jesulus infans specie pulcherrimâ se cordi ejus dulcissimè communicans. Ex Vita S. Bernardi l. 1. c. 2.

B. Bonifacius Ep. Lausanensis, cum nocte Nativitatis ob morbum celebrare non posset; decumbens valde contristatus, eaque de re conquestus B. Virgini. Cui statim apparens Filiolum suum panniculis involutum posuit super lectum ejus: infans verò extraxit manum de panniculis, & levavit pannum de facie sua ostendens ei pulchritudinem faciei suæ. Tunc Episcopus mirè exhilaratus dixit: si nihil aliud esset in paradiso, nisi illa facies benedicta, dignum esset pati omne, quoddam triste est; ut videri posset facies illa gloriosa. Boll. 19. Febr.

§. XIII.

Festum seu Natalis Domini.

IN lectulo meo per noctes quæsvi &c. Cant. 3. 1. Qui per noctes quærit, non videtur mihi tam aspectus, quam amplexus, festari: tenere magis optat, quam intueri. Amplexus quære Dilecti. ignorantia tuæ nox; imò noctes ignorantiarum tuarum, serenam tibi adimit visionem secretorum cœlestium. Nox non præscribit deliciis; nam & ipsis aliquoties illustratur. Nox, inquit, *illuminatio mea in deliciis meis*. Et in hac nocte potest Jesus meus magis dulci quoddam affectu suaviter senti-ri, quam sciri ad puerum. Gilbertus l. 1. hic.

Adest Christi multum desiderata, & diu expectata, Nativitas. Gaudia nobis cœlitus nuntiantur, lætitia imperatur. S. Cyprianus de Nat. D.

Salvator noster dilectissimi hodie natus est. Gaudeamus: neque enim fas est locum esse tristitiæ, ubi natalis est vitæ. S. Leo l. 1. in Nat. D.

Mox ab omnibus voluit agnosci, qui dignatus est omnibus nasci. S. Leo l. 1. in Epiph. D.

Bene sanctam hanc diem Natalis Domini solem novum vulgus appellat: si enim obscuratur sol, cum Christus patitur; necesse est, illum splendidiùs solito lucere, cum nascitur. S. Ambros. l. 16. de Nat. D.

Dulcis dies, verè dulcis dies, & cunctis poenitentibus veniam portans. Promitto vobis filioli, & certus sum: quia in hac die si quis ex corde poenituerit, & ad vomitum peccati reversus non fuerit, quodcumque petierit, dabitur ei; tantum in fide non dubitet. Hodie totius Mundi peccatum tollitur, & peccator desperet? S. August. l. 3. in Nat. D.

S. Chrysost. or. de B. Philogonio festum Nativitatis Christi vocat omnium festorum metropolim.

Jure, meritòque, lucem hanc dierum dominam appellaveris. S. Sophronius or. in Nat. D.

Nocte Dominicâ natus est Christus, consonante mirabilium suorum ordine: ut, quò die dixit *fiat lux*: ejusdem diei nocte oriretur in tenebris tamen rectis corde. Rupertus l. 3. de div. offi. c. 16.

Dies misericordiæ, est dies natalis Domini: in quo nobis ortus est sol justitiæ. S. Thom. Aqu. D. 1. adv.

Nulla est creatura, in qua non fuerunt monstrata, & offensa, miracula in Nativitate Christi. Eâ nocte, quâ Virgo peperit, funditus corruit templum pacis. Per totum Mundum (idem sentit Hieron.) universa idola corruerunt, Fons Romæ pro aqua oleum emanavit. Ac ipsâ nocte tantâ claritate refulsit, quòd noctem in lucem diei converterit. In cœlo tres soles visi sunt in Oriente, qui divisi inceserunt, in ipsa noctis hora in unum solem conversi sunt. Hac die Magis orantibus stella mirâ claritate apparuit, quæ eos in multam admirationem converterit: nam formam pulcherrimi pueri habebat, in cujus capite crux fulgebat, dixitque eis: in Judæam ite, Regem natum quærite. S. Mater cum puerum parturisset, & eum in præsepio collocasset; mox bos & asinus, genu flexerunt, & eum adoraverunt. S. Bonavent. l. 13. in Nat. D.

Tunc illuxit nobis dies redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ; tunc per totum Mundum mellisui facti sunt cœli. Id. de ligno vitæ.

Magna

Magna cathedra praeceptum illud, ex quo cunctis mortalibus Dei loquitur sapientia, eccelsis in stabulo Magister legit. S. Thom. Vill. l. 1. in Nat. D.

§. XIV.

Christus nascitur in nobis spiritualiter.

Cum natus esset Jesus in Bethleem Juda. Matth. 2. 1. Juda Confessio, Bethleem domus panis. Confessio, & Eucharistia his nominibus adumbrantur: quae qui coluerit, securus est, quod suo in corde puer Virginis oriatur. Oliva t. 2. Strom. hic.

Et peperit filium masculum. Apoc. 12. 5. In uno quolibet spiritualiter nascitur Christus: Ecclesia autem parturit, fascisque involvit; donec Christus natus in nobis formetur: atque ita unusquisque Christi participatione Christus quodammodo efficiatur. S. Andreas Caesar. l. 11. in Apoc.

An nescis, quia ex semine verbi Dei, quod seminatur, Christus nascitur in corde Auditorum: hoc enim dicit Apostolus, *donec formetur Christus in vobis*. Gal. 4. 19. S. Cyrill. Alex. l. 12. in Levit.

Vos Ecclesiae Pastores, vos Episcopi, & Sacerdotes; audite, & intelligite: vobis Angelus loquitur, vobis hoc gaudium magnum evangelizat. Nuntiate ergo, quod audistis; predicate, quod vidistis; nolite celare, quod cognovistis. Toties enim Christus in stabulo oritur, toties ut parvulus in praesepe ponitur; quoties Virginis partum, & Christi Nativitatem, aliis nuntiatis. Euseb. Emis. in nocte Natalis D.

Utinam inveniamur & nos Bethleem Judae, ut in nobis quoque dignetur nasci: nam domus panis, quod Bethleem sonat, ad praeparationem fortasse videtur magnopere pertinere: quomodo enim ille paratus est, ut excipere tantum hospitem possit, qui dicit: quia non est in domo mea panis &c. S. Bernardus l. 6. in Vig. Nat. D.

In te est, utrum sis pater, an mater; an potius utrumque, pater, & mater. Potes Deum

gignere in corde tuo, & in corde alieno; & potes eum excipere à corde tuo, & ab ore alieno. Intellectu gignitur, consensu concipitur, affectu nascitur, effecta nutritur. Nosti voluntatem Dei; consensu ei: & concepisti. Amando parturias, operando nutrias. Richardus à S. Vict. Annot. in Pl. 25.

Christus concipitur per affectum, nascitur per effectum, nutritur per profectum. Innocentius P. III. l. 3.

Dei Filius spiritualiter nascitur in mente; cum, post sanum consilium, post discussum sufficienter negotium, post invocatum divinum patrocinium; sanctum propositum, perducitur ad effectum: cum jam anima incipit agere, opere perficere; quod diu pertractavit in mente. S. Bonavent. 2. solenn. de Nat. pueri Jesu.

Miscellanea.

Ego quasi Agnus mansuetus. Jer. 17. 19. Clem. Alex. l. 1. Pedagog. c. 5. Quoniam Scriptura pueros, & infantes, agnos vocat; Deum, qui est verbum, qui propter nos homo factus est, qui nobis in omnibus assimilari volebat; vocavit agnum Dei, Filium Dei, Infantem Patris. Cornelius hic.

Puer autem crescebat. Luc. 2. 40. Bene puer dicitur Christus: sicut enim puer cum matre, cum pueris, cum floribus, cum brachiis, libenter esse solet: sic puer Jesus delectatur in matris Ecclesiae felicitate, in puerorum per innocentiam societate, in florum virtutum venustate, in brachiorum operum charitate. S. Bonavent. l. 4. D. infra Nat.

Non consolatur infantia Christi garrulos, non consolantur Christi lacrymae cachinnantes, non consolantur panni ejus ambulantes in stolis; non consolantur praesepe, & stabulum, amantes primas cathedras in Synagogis. S. Bernardus l. 5. in Nat. D.

Quam felix, quam amabilis Nativitas tua puer Jesu; quae Nativitatem omnium emendat, conditionem reformat, praedictum solvit, chirographum demoratae naturae refecit. Guarricus l. 3. de Nat. D.

TITULUS II. NOBILITAS.

§. I.

Vana de ea gloriatio.

Pater noster Abraham est. Joan. 8. 39. Non prodest nobilitas generis; & paterna bonitas in filios non transfunditur; neque virtus more hominum, aut arborum, propagatur: quoniam tantum caro de carne nascitur; non virtus originem habet ex carne, cujus solus Deus potest esse largitor. Inaniter igitur Judæi de Abraham sibi gloriam vendicabant, quod de suis lumbis essent traducti continuata propagine. Simon. Cels. l. 11. c. 39.

Admonentur etiam hic divites, vel genere nobiles secundum sæculum; cum Christiani fuerint, non superbiere adversus pauperes, & ignobiles; quoniam simul dicunt Deo: *Pater noster*. Quod non possunt verè, & piè dicere; nisi se fratres esse cognoscant. S. August. l. 2. f. 8. de serm. D. in monte.

Verè liber, & solus princeps, ac rex regum, ille est, qui passionibus immunis est. S. Chrysost. hom. 59. in Matth. c. 18.

Pulvis unus omnes fumus. Mihi servus est, quisquis turpiter, ac flagitiosè vivit: mihi liber est, quisquis virtute, vitæque integritate, præstat. S. Greg. Naz. in nobilem malè moratum.

Præstat in obscuritate generis virtute, quàm in majorum charitate vitii, cumulari. Nam & rosa, licet ex aspera spina nascatur, fragrantissimum tamen odorem afflat. Id. ib.

Si nobiles de auro, & ignobiles Deus fecisset de lutò, causam fortasse aliquam superbiendi haberent nobiles; sed, cum omnes sint de una materia; vana est eorum gloriatio: Broyard. Nobilitas.

Multa sidera. Lem: *Simili ab ortu*. Seneca ep. 44. Plato ait: neminem regem non ex servis esse oriundum; neminem non servum ex regibus. Picinelli.

§. II.

Nobilitas vana sine virtute.

Que utilitas in sanguine meo, dum decendo in corruptionem? Pf. 29. 10. q. d. ait Incognitus: nulla est nobilitas, ac decor, in sanguine meo, & genere; dum in peccata incido. Sylveira addit. in Luc. 13.

Quid tibi vis in via Egypti, ut bibas aquam turbidam? Jerem. 2. 18. S. Hieron. l. 1. in c. 2. Habac. quamvis de paradiso flumina Egypti exire credantur; tamen, quia conculcantur pedibus Pharaonis, & lutò Egyptiò violata sunt; perdiderunt splendorem suum.

Fuit in diebus Herodis. Luc. 1. 5. Dum Lucas Zachariæ dignitatem, & nobilitatem, describit, apponit verbum *fuit*, præteriti temporis: dum autem ejus & uxoris, sanctitatem,

narrat, ponit verbum *Erat* imperfecti temporis: *erant iusti ambo ante Deum* v. 6. verbum *fuit* significat rem præteritam ac transactam; verbum autem *erat* aternitatem ac permanentiam: & ideo usus est eò Joannes in generatione aterna: *in principio erat verbum*. Omnis hujus sæculi dignitas, & nobilitas, citò deficit; justitia autem coram Deo in æternum durat. Sylveira c. 4. in Luc. 1.

Hi, qui amici sunt stolis albis, qui sunt? & unde venerunt? Apoc. 7. 13. *Responsum v. 14. hi sunt, qui venerunt ex tribulatione magna*. Duo quærebat Senior ex Joanne: qui sunt hi? & unde venerunt? respondet soli secundæ quæstioni. Cur non primæ? quia quæstio prima inquit in personas, earumque originem. Hæc quæstio sine responso: in domino enim Dei nulli datur gloria, & beatitudo, pro qualitate prosapiæ: hæc enim nihil valet, nisi virtuti juncta. Didacus Nis. Pol. coel. p. i. l. 2. c.

Qui generis splendorum jactatis, date operam, ut mores quoque nobilitetis. S. Gregor. Naz. or. 27.

Nihil mihi conducit martyr pater, si non bene vixero, & amavero generis mei nobilitatem. Origenes hom. 4. in Ezech.

Quæ utilitas ex claris, & probis, parentibus originem ducere; te autem bonæ vitæ esse expertem? aut quod damnum fuerit, si parentes, aut progenitores, fuerint ignobiles, & obscuri; ipse autem virtutibus floreas? S. Chrysost. hom. 23. in Gen.

Nihil est viro vilis (etsi rex sit) quando est vitio deditus: quemadmodum nihil est vel captivo regalius, ac magnificentius; quamdiu virtutem possederit. Id. in Pf. 6.

Annulus sine gemmâ. Lem: *Deest optimum*. Nobilitas sine virtute. Malen.

§. III.

Nobilitas vera in quibus consistat.

Ex Veteri, & Novo.

Ego tuli Levitas à filiis Israel pro omni primogenito. Num. 3. 12. Origenes hom. 3. in Num. notat, Levitas assumi pro primogenitis; cum tamen, ut refertur Gen. 49. 3. Levi non fuerit primogenitus Israel, sed Ruben, secundus Simeon, tertius Levi. Quomodo ergò Levitæ in primogenitos assumuntur? Quia apud Deum non illi primogeniti habentur, qui corporeâ nativitate præcellunt; sed meritis. Castillo ad c. 28. Ex. III. 3.

Ecce vir Dei est in civitate hac, vir nobilis. 1. Reg. 9. 6. S. Gregor. hic: nobilis dicitur, qui supernâ conversatione conspicuus est; & de mundanæ vitæ rusticitate nihil habet. *Cepit David arcem Sion; hæc est civitas David*.

David. 2. Reg. 5. 7. Cajetan: hoc est ad differentiam Bethleem, quæ erat civitas Davidis; quia inde erat oriundus. Author. Imp. op. hom. 4. in Matth. quid prodest ei, quem fordidant mores, generatio clara? aut quid nocet ei generatio vilis, quem mores adornant? Ipse se vacuum ab omnibus bonis actibus ostendit, qui gloriatur in patribus. Aurum de terra nascitur; sed non est terra: & stannum de argento egreditur; sed non est argentum. Didac. Nis. in Phoen. Græc. l. 1. c. 7.

Erat vir ille magnus inter omnes Orientales. Job. 1. 3. Origen. l. 1. in Job legit: fuit autem hic homo (Job) de genere optimo ex partibus orientalibus. Job erat Idumæus ex prosapia pessimi Esau: quomodo ergo dicitur ex genere optimo? Præclara Job nobilitas per avos non veniebat; sed à magnis virtutibus. Origen. quomodo de genere optimo erat, qui de talibus nascebatur? Ruben primogenitus Jacob, Simeon, & Levi. Qui ex Israel sunt primogeniti, de genere optimo non dicuntur. Job verò, qui ex impiis ortus est, id est, ex filiis Esau; hic de genere optimo dicitur. Ego, inquit, non carnalem generationem significo, non pereuntem generositatem laudomam hæc apud Deum non magni penduntur; hæc à creatore non requiruntur. Sylveira Addit. in Matth. 1. Notandum, ait S. Hieron. in genealogia Salvatoris nullam sanctarum assumi mulierum; sed eas, quas Scriptura reprehendit. Eæ sunt Bethsabæe, Thamar, Ruth, Rahab. Cur verò Salvator noster ex prosapia nasci voluit, in qua & mulieres non paucae fuerant flagitiis insignes, & viri multi sceleribus cooperti: qui poterat sibi homines ex toto Mundo purissimos, & sanctissimos deligere majores, ex quibus nasceretur? Euthymius in c. 1. Matth. per talia docemur, non de primogenitorum peccatis, sed de propriis erubescere: neque de majoribus gloriari; sed propriæ curam habere virtutis. Did. Nis. in Phoen. Græc. l. 10. c. 6.

Ex ea, quæ fuit Uriæ. Matth. 1. 6. Hic quoque ejus, quæ fuit Uriæ, mentionem facit. Ut doceat, quod nemo debeat erubescere propter progenitores; sed dare magis operam, virtute suâ illos clariores efficere: & quod omnes accepti sint Deo, etiamsi è scorto nati; modò virtute sint præditi. Theophylactus hic.

Quæ est mater mea? & qui sunt fratres mei. Matth. 12. 48. Una sola, & vera, & communis, nobilitas est, atque necessitudo cum Christo; ut voluntatem Dei facias. Multò propinquiores Deo sunt, qui voluntatem ejus faciunt; quam qui summâ carnis necessitudine conjunguntur. S. Chrysost. hom. 45. in Matth. hic.

Unde huic sapientia hæc, & virtutes? nonne hic est fabri filius? Matth. 13. 54. 55. Abuleas. q. 83. hic. quare Nazareni dixerunt,

quod Christus erat filius fabri? voluerunt contempere eum de humilitate cognationis suæ. Imò ob hoc potius Judæi Christum laudare, & honare, debuissent; quod, homo de humili plebe natus, ad tantam probitatem, & ingenii gloriam, pervenerit.

Resplenduit facies ejus sicut sol. Matth. 17. 2. Cur Christus non ut ignis, sed ut sol, resplenduit tunc, cum æterni Patris Filius proclamatus fuit? Joan. Clunia c. 2. de Nat. differt lumen, quod oritur ab igne, & quod à sole: quia ab igne semper habet fumum, & aliquam impuritatem admixtam; ideo dicitur à Philosophis infumatum. Ità ille. Ignis lumen sumptu, & impendiò, nutritur alienò; sol de suo fulget. Didacus Nis. in Phoen. Græc. l. 1. c. 7.

Ex Patribus, & aliis.

Sola apud Deum libertas est, non servire peccatis: summa apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus. S. Hieron. ep. 14. fortè Paulini Ep. ad Celantiam Matronam de ratione piæ vivendi.

Probat viri genus, virtutis prosapia est: quia sicut hominum genus homines; ita animarum genus virtutes sunt. Etenim familiæ hominum splendore generis nobilitantur; animarum autem gratia clarificatur splendore virtutis. S. Ambros. lib. de Noe. apud Castillo Il. lat. 87.

Vilitas paterni generis nullâ ex parte obscurat filii virtutem: neque nobilitas censetur; eò quod è magnatum sanguine sis prognatus; sed si ipse efficaris magnus. S. Chrysost. in II. c. 1.

Illud quidem inter omnes sanæ mentis homines constare arbitror, eruditionem inter humana bona primarium locum tenere. S. Gregor. Naz. or. 30. in laudem Basilii.

Nobis ipsis quodammodo patres sumus; quando per bonum animi institutum, liberumque arbitrium, nos ipsos formaverimus, & genuerimus, & in lucem ediderimus. S. Gregor. Nys. hom. 6.

Potest ex cava vir magnus prodire: potest ex deformi, humilique corpusculò formosus animus, & magnus. Seneca ep. 67.

Miscellanea.

Date annulum in manu ejus. Luc. 15. 22. Cur pater mandat dari annulum? Annulus signum nobilitatis, & libertatis; per quem Equites à plebeis, & servis, distinguebantur. S. Chrysost. l. 5. posuit annulum in manu ejus, annulum honoris, titulum libertatis, insigne pignus spiritûs, signaculum fidei. Sylveira hic q. 19.

Nobilitas, quasi notabilitas dicitur. Quando quis faciebat aliquam rem notabilem in servitio regis; faciebat illum nobilem. S. Vinc. Ferr. l. 1. f. 5. post Invocavit.

TITULUS. III. NOMEN.

§. I.

Propriū vocari, amoris signum.

Abraham! Abraham! Gen. 22. 1. Expressio nominis signum est familiaritatis. Ex. 33. 12. *novi te ex nomine.* Lucæ. 16. Lazarum quasi familiarem nominat; divitem non. Joan. 20. 16. dixit Dominus: Maria & ipsa Rabboni id est, cognita cognoscit. Geminatio autem nominis, magnæ familiaritatis est signum. Hugo Card. hic.

Vocavi te nomine tuo. Il. 43. 1. Alludit ad morem heroum benignorum; qui servos, quos amant, nomine propriū vocant. Sic Deus ait: *Israel veni.* Cornelius hic.

Vocat oves nominatim. Joan. 10. 3. Nomen homini inditū, & ab alio pronuntiātū, mirā habet vim, ut hominem excitet sive dormientem, sive morientem. Doultreman l. 5. c. 2.

§. II.

Nomina Christi.

ET vocabitur nomen ejus Emmanuel &c. Il. 7. 14. Vide, quā pulchre, & rationalis, ordo sit hujus; & ceterorum nominum. Primum Emmanuel, id est, *nobiscum Deus*: pro causa videlicet, quæ prima est in ordine; quia habitat in nobis Deus homo factus. Secundum: *Accelera, spolia detrahere &c.* Ea videlicet pro causa, quia moriendo fortem armatum diabolum superavit, & spolia distribuit. Tertium: quia *admirabilis*: videlicet, quia surrexit à mortuis, & ascendens in cælum, gloriā, & honore, coronatus sedet à dextris Dei. Quartum *Consiliarius*: ex eo scilicet, quod dans Paracletum Sanctum Apostolis suis, consilium habuit cum eodem spirite consilii, de repellendis Judæis, & vocandis Gentibus. Quintum Deus: quia exinde omni modō verē adoratur ut Deus. Sextum *Fortis*: quia verē fortis in iudiciō, quod expectatur, apparebit. Septimum *Pater futuri sæculi* quia nimirum peractō iudiciō, non jam ut Dominus servorum, sed ut Pater filiorum, regnabit. Octavum *Princeps pacis* quia revera laudabitur in æternum, & grates habebit, ut author pacis; quā Deo sumus reconciliati per mortem ejus, qui eramus inimici. Rupertus l. 1. in Matth.

Fili David, filii Abraham. Matth. 1. 1. O quā disparia nomina assumit Deus in Novo Testamento, ab iis, quæ in veteri. Tunc enim plerumque vocabatur *Deus Abraham, Isaac, & Jacob*; Deus hominum justorum: quos, sicut David, peccasse nescimus. Nunc autem filius David peccatoris, filiusque Abraham justī, dicitur: quia non modō justos, sed & peccatores recipit. Diez. conc. 1. in Nat. B. V.

Vocabunt nomen ejus Emmanuel. Matth.

1. 23. dicunt Hebræi: quomodo ergo non vocatus est Emmanuel, sed Jesus Christus? Dicendum: quod non dixit, vocabis; sed vocabunt: hoc est, opera ejus demonstrabunt, cum Deum esse, & nobiscum conversari: divina enim Scriptura ex operibus imponit nomina Theophylactus in Matth.

§. III.

Nomina data sanctis à Deo.

Ubi Deus. Gen. 17. 5. Abraham ingentes glorias promisit, literam He nominis divini ejus nomini addit, ut deinceps vocaretur Abraham: ut ostenderet, non modō se bona sua ei impertiturum; verum etiam seipsum. Bæza l. 1. c. 6. §. 1.

Et in calculo nomen novum scriptum. Apoc. 2. 17. An non sat erat, ore enuntiare? cur insuper scribitur? Quod scribitur, diutius perseverat, quā quod ore profertur. S. Bonav. in c. 1. Luc. recte dicitur scriptum nomen Joannis; ob indelebilem firmitatem: quia nomen ejus scriptum in libro vitæ. S. August. in Ps. 44. *lingua mea calamus scribæ.* Quare linguam suam esse dixit calamus scribæ, quia quod lingua dicitur, sonat, & transit; quod scribitur, manet. Sylveira hic.

Habent hoc merita Sanctorum, ut à Deo nomen accipiant. Sic Jacob Israel dicitur, quia Deum vidit. Sic D. N. Jesus nominatus est, antequam natus. S. Ambros. l. 2. in Luc. Et factum est, in die octavo &c.

§. IV.

Nomina sancta filiis data.

Quem vocavit Enos. Gen. 4. 26. Non solum hic parentum monstratur pietas; sed & magna erga pueros diligentia. Et quomodo statim, & à principio erudiebant pueros, qui ipsis nascebantur; admonentes appellationibus, quas illis imposuerant; ut virtutem exercerent; & non, sicut nunc fortuito, & absque causa nomina fiunt. S. Chrysost. hom. 20. in Gen.

Et genuit Malalael. Gen. 5. 13. Hebr. idem est, quod *laudans Deum*; quem pater Cainan ita vocavit; ut seipsum, ad jugem Dei laudem excitaret. Cornelius hic.

Vocavitque nomen ejus Simeon. Gen. 29. 33. Simeon, id est *auditis*, vel *exauditis*. Notent matres; & imitentur pietatem, ac gratitudinem Liæ; quæ peregrinæ memoriam beneficii divini, putā prolis, in nomine ejus constituit: ut, quoties prolem videret, & nominaret, toties beneficii divini recordaretur. Sic Anna vocavit Samuelem; id est, *postulatum*, & *impetratum à Deo*, 1. Reg. 1. 20.

Quem

Quem vocavit Gersan. Ex. 2. 22. Dat rationem, cur eum sic vocet: scilicet quod ipse Moyses *advena*, & peregrinus, fuerit in Madian. Nomen secundo filio dedit Moyses *Eliezer*; id est, Deus meus *adjutor*; ut doceret, liberos esse monumenta divinæ largitatis, Deique semper esse memores prolesque sancti, aut sanctæ alicujus nomine nuncupare. Cornelius hic.

Vocavitque nomen ejus Samuel. 1. Reg. 1. 20. id est, *postulatus à Deo*: ut, quoties puer hoc suum nomen audiret; recordaretur, se à Deo per miraculum matri voventi donatum: ideoque se totum, quod esset, & viveret, debere Deo, quasi peculiarem Dei filium; ac proinde totum se ei traderet. Cornelius hic.

§. V.

Nomen non sit inane.

Ex Veteri, & Novo.

Secundum nomen tuum Deus; sic & laus tua. Pl. 47. 11. S. Ambros. in Pl. 43. quid est nomen, nisi quod proprie unusquisque significatur. Et in nomine tuo &c.

Beatus es Simon Bar-Jona. Matth. 16. 17. Cur vocatur beatus, qui nondum æternâ beatitudine fruitur? Non deest possessio, ubi adiunt media. Abulens. q. 61. hic: accipiendo propriè beatum, vocat eum beatum: quia pro confessione fidei debetur æterna beatitudo. Castillo Illat. 3.

Nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Luc. 1. 61. Non secundum nomen, quod ab hominibus imponitur, adscribuntur in libro viventium; sed secundum nomen, quod sortimur in cognatione virtutum. Sim. Cals. l. 3. hic.

Domine, vis, dicimus, ut ignis descendat de caelo, & consumat illos. Luc. 9. 54. S. Ambros. l. 7. hic: bene præsumunt, quia ad sermonem suum ignis de caelo descenderet, quoniam filii sunt tonitru. Marci 3. 17. *imposuit eis nomina Boanerges; quod est, filii tonitru.* Didac. Nils. Dol. cæl. p. 1. l. 5. c. 4.

Dicit ei Simon Petrus. Joan. 13. 9. Cum repugnat v. 6. & 8. solum dicitur *Petrus*. At modo, cum obedit, dicitur *Simon Petrus*: tunc enim hoc nomen meritis. Sylveira hic.

Paulus servus Jesu Christi, vocatus Apostolus. Rom. 1. 1. Anselmus: nondum se dicit Apostolum: quia nondum Romanis prædicaverat, nec adhuc Apostolus esse videbatur. apud Mendozam in 1. Reg. 8.

Nomen habes, quod vivas; & mortuus es. Apoc. 3. 1. Diem te vocant, & nox es; solum dicunt, & tenebræ es; patrem nominant, & tyrannus es. S. Gregor. Nyls. or. de Christ. perf. tales in omni vita nos præsternus, quales requirit Christiani nominis excellentia. Did. Nils. pol. cæl. p. 1. l. 5. c. 4.

Polyanth, Sacr. Tom. II.

Ex Patribus, & aliis.

Pascha Hebr. transitus dicitur, vel profectus: scilicet quia per hoc mysterium de pecoribus ad meliora transitur. Bonus transitus est, transire de peccatis ad justitiam, de vitiis ad virtutes, ad infantiam de senectute. S. Maximus hom. 4. in festo Pasch.

Dignè noscamus, quid sumus; & quod sumus professione, actione potius, quam nomine demonstramus; ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini: nè sit nomen inane, & crimen immane; nè sit honor sublimis, & vita deformis; nè sit Deifica professio, & illicita actio; nè sit religiosus amictus, & irreligiosus profectus; nè sit gradus excelsus, & deformis excessus; nè habeatur in Ecclesia cathedra sublimior, & conscientia sacerdotis reperitur humilior; nè locutionem simulemus columbinam, & mentem habeamus caninam; nè professionem monstremus ovinam, & ferocitatem habeamus lupinam. S. Ambros. lib. de dignit. Sacerd. c. 3.

An ideo tibi bellus videris, quia faustò vocaris nomine? quasi non & lucus ideo dicatur, quod minime luceat: & Parca, quod nequam parcant: & Eumenides furia, quod non sint benignæ: & vulgò *Æthiopes* vocentur argentei. S. Hieron. ep. 100.

Tales in omni vita nos præsternus, quales requirit Christiani nominis excellentia. S. Gregor. Nyls. or. de Christiana perfectione.

Certum est, quod unusquisque vel Angelorum, vel hominum, ex iis, quæ sibi injunguntur, officiis, & actibus, etiam nomina sortiantur. Origenes hom. 24. in Josue.

Fratres, Patresque, nihil est felicius, vel nostrate vitâ, vel institutò sublimius; si, quales nominamur, vivimus; nec nomenclaturæ contrariam vitam degimus. B. Theodorus Studita l. 39.

Per nomen rei sumus. Salvianus l. 3. de gubernatione. Et l. 4. magis damnabilis est malicia, quam titulus bonitatis accusat: reatus impii, est pium nomen.

Omnino nihil prodest, nomen sanctum habere sine moribus: quia vita à professione discordans abrogat illustris tituli honorem, per indignorum actuum vilitatem. Id. l. 3. de Provid.

Nimis absurdum est, portare nomen alienum; & aliud dici, quàm possit in moribus inveniri. Cassiodorus l. 8. ep. 10.

Absolon pax patris dicitur. Bonum plane nomen; sed ipse nominis hujus virtutem abnegabat. Gilbertus l. 14. in Cant.

§. VI.

Peccator est anonymus.

ANima viventis. Gen. 2. 19. Tantùm vivis per gratiam imponitur nomen. Unde & Lazarus nominatur, & non dives. Nomina bonorum scripta sunt in caelo, nomina malorum in terra. Hugo Card. hic.

Corrupta est terra coram Deo. Gen. 6. 11. Cur non dixit homines? S. Chrysost. hom. 24. in Gen. quia peccatum facit, ut homines suo nomine vocari non sint digni.

Unus Isoboth, 1. Reg. 14. 49. qui etiam erat filius Saulis, prorsus taceretur, non nominatur. Cur? Lyranus: non nominatur Isoboth propter defectum magnanimitatis: quia fuit pusillanimis, & ineptus ad proelium.

Tanquam aqua decurrens. Pl. 57. 8. Aqua decurrens fluit ad mare: & quando intrat mare, ad nihilum devenit; quia nomen amittit: sic isti venientes in amaritudinem Inferni, nomen, quod sibi fecerunt in terra amittent. Hugo Card. hic.

Nomen impiorum putrescet. Prov. 10. 7.

Nomen impiorum delebitur. Eccl. 41. 14. Veteres Hebraei, Graeci, & Romani, ita nomina sceleratorum detestabantur, ac opinione sepeliebant; ut illa nec nominare, nec alicui suorum indere, sustinuerant. Hinc apud Hebraeos nemo sustinuit vocari Cain, Chanaan, Nemrod, Pharaon; & apud Christianos Judas. Apud Graecos, teste Strabone c. 14. caverant Ephesii, nomen ejus, qui Dianae templum incenderat, pronuntiare. Cornelius hic.

Recedentes a te in terra scribentur. Jer. 17. 13. Quia, quod in terra scribitur, vel pulvere elationis, vel aqua carnalis voluptatis, cito deletur. Hugo Card. in Gen. c. 2.

Improbi senes Dan. 13. a v. 5. eo capite nunquam nominantur. Nec Matth. 1. mater Salomonis.

Ibunt hi in supplicium aeternum. Matth. 25. 46. Meministisne nomina, & titulos, quibus Mundus potentes honorat? quamvis mali sint. Videte, quod nomine Christus eos hic appellet. *Ibunt hi.* Vix habet Mundus nomen villius, quam cum dicit: hic, iste: hoc eos Deus nomine vocat. Diez conc. 4. D. 1. adv.

Mulier in civitate peccatrix. Luc. 7. 37. Non quaeritur hic nomen: quia peccatores, quamdiu sunt in peccato, de libro Domini sunt deleti. S. Anton. Pad. in fer. 5. post D. Pas. Nomen Mariae sanctitas inseparabiliter est adjuncta: quod cum agit B. Lucas c. 7. de poenitentia Magdalene; propter hujus nominis reverentiam non ausus fuit Mariam, sed mulierem nominare. Sed paulo post scilicet c. 8. cum dicit eam justificatam a Domino, de suis facultatibus illi ministrare, vocat Mariam. Richardus a S. Laur. 1. de laud. Virg. c. 2.

Erat quidam mendicus nomine Lazarus. Luc. 16. 20. Ubi ergo nomen divitis? nusquam; quippe qui nomine careat. Quanta divitiae! arbor foliis vernans; sed fructu destituta: quercus in altum protensa; quae glaudem brutis animantibus in cibum suppeditat. S. Chrysost. tom. 6. tr. in terra motum.

Homo quidam erat dives. Luc. 16. 19. Hunc, tanquam durum, & in pauperes inhumanum, Dominus anonymum, nominis expertem, inducit: nempe ut exemplo id confirmet, quod per Prophetam aliquando de iis pronuntiatur, qui Deum non metuant. Pl. 15. 4. *nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Pauperem vero proprio nomine designat: siquidem tales in Dei lingua, & ore observantur. S. Titus Bost. hic.

Scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas, & mortuus es. Apoc. 3. 1. Occultum opus ejus, qui nomen habet, quod vivat; & mortuus est: nam cujus peccatum publicum, & notum est, non hic habet nomen, quod vivat. Rupertus hic.

Idcirco pueris in baptismo nomen datur: quia tunc in albo iustorum recensentur. Antea nomine carent, quia filii irae, & non gratiae. Alvarez in Gen. 33. Illust. 16.

TITULUS IV. NOMEN JESU.

§. I.

Figura, & Symbola.

Vocavitq. Osee filium Num, Josue. Num. 13. 17. Moses Osee nomen mutavit in Jehosua; addita, & praefixa ad nomen Hosea litera jod. Primo, ut certiore ipsi Josue, & populo per ipsum, salutem, & victoriam de Chanaanis promitteret; quam hac exploratione inchoabat: Hosea enim significat *salva* unde hosanna idem est, quod *salva* *quiesce*. Jehosua autem significat, *qui salvabit*. Secundo, ut innueret, multa ei bona largitum Deum, cui priorem litteram nominis sui tetragrammati, scilicet Jod, addidisset. Nomen sic ei mutatum, cum dux militiae contra Amalecitas est constitutus, eosque debellavit. Alii censent, Osee nomen mutatum fuisse, cum designatus est explorator terrae sanctae:

tunc enim periculo mortis ultro pro populo se obtulit. Tunc enim magnanimus, est imperterritus apparuit; ideoque dignus, qui novo hoc, & augusto nomine donaretur. Sept. passim, Josephus, & Philo l. de claritate Hebr. Jescua, seu Josue, vertunt *Iesus*, id est Jesus. Epiphanius haeresi. 29. Jesus, ait Hebraica lingua Curator appellatur; aut medicus, & Salvator. Cornelius hic. Tres homines hujus nominis in Scripturis fuisse legimus: Jesum Syrach, Jesum Jozedech, & Jesum Nave; qui omnes nostri Jesu figuram, & typum gesserunt; sed praecipue Jesus Nave. Siquidem Jesus Syrach propter sapientiam; Jesus Jozedech propter Sacerdotium; sed Jesus Nave propter salutem, quam attulit populo, quem de solitudine in terram promissionis introduxit. Bellarminus conc. 3. sup. misl.

Oleum effusum nomen tuum. Cant. 1. 2. Dum

Nun unguentum effusum vocat nomen Jesu Christi, immensam ipsius misericordiam, atque pietatem erga nos ostendit. Philo Carpath. hic.

Oleum effusum nomen tuum. Ib. Oleum non tantum ex olivis, sed ex quolibet flore, herbâ, aromate, distillatur, quod totam rei substantiam, succum, & vim, exsugit; unde à medicis vocatur quinta essentia: quâ si cum oleis aliorum aromatum scite commisceatur, unguentum facit præstans. Hin. Sept. Vatablus & alii, vertunt: *unguentum evacuatum nomen tuum.* Syrus: *unguentum myrrha nomen tuum.* Cornelius hic.

§. II.

Excellentia.

Deditis eis Salvatores. 2. Eldræ 9. 27. Lego Judices à Deo lectos, vocatos esse, non bellicosos, non aulæ principes, non Dominos, sed augustiore nomen claturâ. *Salvatores.* Judic. 3. 9. Num. 13. 17. *vocavitque Osea Josue volens. q. 37.* ad significandum: quod Moyses præficebat Josuen aliis exploratoribus; ideo vocavit Salvatorem, id est, quod haberet curam de aliorum salute, Velloso in Judith 5. Paræn. 26.

Liber Jesu Christi filius David. Matth. 1. 1. Cur non ponit titulos splendidos divinitatis? majori gloriatur titulò Jesu Salvatoris. Prius se Christus Servatorem, quàm regem hominum agnosci vult. Id. ib. In eo, quod dicitur Jesus, Deus esse asseritur; & ipsam celsitudinem Filii Dei potius voluit salvandi operibus ostentare, quàm speciosis titulis, & nominibus Filii Dei. Rupertus apud Sylveiram hic q. 9. Cur prius ponitur nomen Jesu, & postea Christi? Quia nomen Jesus, id est, Salvator, dicit merita; Christus verò dignitatem. De meritis ergo potius, quàm de corona, & purpura, Salvator noster gloriatur. Id. hic. q. 10.

Inventa una pretiosa margarita &c. Matth. 13. 45. Gloriosum, & optabilissimum nomen Jesu pretiosa est margarita; quam, qui omnem suam substantiam vendiderit, comparare potest; & latitiam majorem, quàm dici possit, de inventione habere. S. Diadochus Ep. de perfect. spir. c. 59.

Vocabis nomen ejus Jesum-filius altissimi vocabitur! Luc. 1. 31. 32. Rupertus de aper. Spir. S. c. 10. Paulò antè vocabis nomen ejus Jesum; hic autem, vocabitur Filius Dei: illic, *vocabis*, hic autem, *vocabitur.* Angelus ait, quod Christus D. vocandus, seu publicandus sit Jesus, magnus, & Filius Dei. Et licet nomen Dei sit valde sublime; conceditur, ut à multis dicatur primò. At nomen Jesus adeò altum, sanctum; ut illud primùm enuntiare solum committatur B. Virgini elevata super omnes puras creaturas; & purissimæ ejus lingua. Sylveira in Act. 3. 6.

Vocatum est nomen ejus Jesus. Luc. 2. 21. *Proprium est nomen ipsi mirè nato: quoniam*

solum sibi proprium est, posse Salvare. *Substantivum* est, quia veram, & beatam substantiam facit: *Adjectivum* est; adjecit multa super naturam conditam: *Commune* est, communiter omnibus factus est Jesus. Sim. Call. l. 1. c. 10. Cur potius Jesus quàm Emmanuel vocatur? ut vocandum prædixerat l. 7. 14. Emmanuel significat naturæ excellentiam, Jesus officium Redemptoris; quòd vitam pro suis daturus esset. Potius verò obligatio muneris debet ante oculos observari, quàm dignitas personæ: ideoque, ut fixa semper esset in mente, in sculpta est in nomine. Sylveira in Luc. 2. q. 9.

In nomine Jesu Christi Nazareni surge. Act. 3. 6. Deus significat Dominum, & Creatorem; Jesus significat Deum, ut Salvatorem, & omnium redemptorem: sicut enim majus est beneficium redemptionis, quàm creationis; ideo majus est nomen Jesu. Abul. q. 7. in Ex. 2. Unde consuetudo laudabilis est in Ecclesia; quòd magis honorat nomen Jesu, quàm nomen Deus. Unde auditò nomine Jesu, devoti Fideles caput inclinant; quod non faciunt auditò nomine Deus: & qui illud inhonorat, magis peccat; quàm si inhonoret nomen Deus. Sylveira hic q. 18.

Donavit illi nomen, quod est super omne nomen. Philipp. 2. 9. Orig. hom. 1. in Jos. & Bernardus f. 1. & 2. de Circumcis. putant hac nomen esse Jesu. Sed quomodo hac nomen, etiam Jehovah, nomen ineffabile; quod, ob suam excellentiam, nefas erat proferri, nisi à Summo Sacerdote? Excellit ob merita; quia redimendi munus nomine Jesu significatur; & suis meritis nostram salutem operatus est. Castillo in Ex. 28. Illat. 3. Ipsum nomen Jesu, quod est super omne nomen, & in quo flectitur omne genu, obedientiæ remuneratio est. S. Bernardus f. de verbis Petri, ecce nos reliquimus omnia.

Donavit illi nomen. Philippus. 2. 9. Quare Luc. 2. 21. *vocatum est nomen ejus?* Ac in Cruce datum? Jesus, id est, Salvator nostram Salutem in cruce operatus est: ibi ergo nomen ei datur; hic verò antè in circumcisione veluti creditur ex meritis solvendis. Sylveira in Luc. 2. 21. q. 12.

Cum nomino Jesum, hominem mihi propono mitem, & hominem corde, benignum, sobrium castum, misericordem, & omni Sanctitate conspicuum: eundemque ipsum Deum omnipotentem. Hæc omnia simul mihi sonant, cum in sonuerit Jesus. S. Bernardus f. 18. in Cant.

Nomen Jesus est virtuosum: quia omnes virtutes, quas Deus posuit in herbis, lapidibus, verbis, planetis, stellis, constellationibus; omnes sunt & continentur, in hoc benedicto nomine Jesus. Vincent. Ferr. f. in festo Circumcis. D.

Omnia, quæcunque Deus pro salute humana ordinavit, in Jesu nomine comprehenduntur. S. Bernardinus f. 49.

Z 3

§. III.

§. III.

Nomen Jesu non est inane.

Stoblitur sumus nomen Dei nostri. Pl. 43. 21. Quod est Jesus, id est, Salvator, quod plenum est misericordia: quia secundum misericordiam suam salvos nos fecit. Tit. 3. 6. Hugo Card. hic.

Liber generationis Jesu Christi. Matth. 1. 1. Nomen Jesu Proprium est, id est, Salvator; quod, ut ait Rupertus, divinitas indicatur: proprium enim est Dei salvare. Christi cognomen est dignitatis, id est, *unctus*: Reges enim, Sacerdotes, Prophetæ ungebantur: ut Saul 1. Reg. 10. 1. David. 1. Reg. 16. 13. Salomon. 3. Reg. 1. 39. Sacerdotes. Ex. 29. 7. Levit. 8. 12. Prophetæ, ut Eliseus. 3. Reg. 19. 16. Nomen Jesus sibi retinuit, & nobis nomen Christus communicavit: unde Credentes dicti sunt *Christiani*. Act. 11. 26. Jesus nomen salvandi, & redimendi est; Christus verò nomen dignitatis, ac regie majestatis: sibi ergo reservavit, quod passionem, & crucem, importabat, nobis verò id, quod splendorem gloriæ innuebat, communicavit. Sylveira hic q. 8.

Vocatum est nomen ejus Jesus. Luc. 2. 21. Merito sanè, dum circumciditur puer, qui natus est nobis, Salvator vocatur: quod videlicet ex hoc jam coeperit operari salutem nostram; immaculatum illum pro nobis sanguinem fundens. S. Bernardus l. 2. in Circumcis. D. Moris antiquis, nomen cujusvis proprium in ejus insculpere monumento. Cur igitur nomen Jesus non ponitur in ejus sepulchro? In cruce nostrum operatur salutem; & nomen illustre inter crucis labores solum valuit intueri. Sylveira in Luc. 2. q. 14.

Domini Jesu Christi nomen, si bene expendatur, totam illius erga nos beneficentiam declarat. Jesus enim, inquit, ob hoc vocabitur, quoniam ipse salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Matth. 1. 21. S. Chrysost. Enarr. in c. 1. ad Galat.

Neque enim ad instar priorum meus iste Jesus nomen vacuum, aut inane, portat: non est in eo magni nominis umbra, sed veritas. S. Bernardus l. 1. in Circumcis. D.

Oleum lucet, pascit, & ungit: lux, cibis, medicina. Vide idem de sponsi nomine: lucet prædicatum, pascit recogitatum, invocatum lenit, & ungit. S. Bernardus l. 15. in Cant.

Habuit & Judæa quosdam Jesus, quorum vacuis gloriatur vocabulis: illa enim nec lucent, nec pascunt, nec medentur. Id. ib.

Nomen Jesu, si subtiliter contempletur, repræsentat Crucifixionem Christi, in qua fuit nostra salus. Litera H. significat crucifixum: quia dicit Priscianus, quod h. non est litera, sed aspirationis nota: ideo significat Christum in cruce; quia tunc non fuit litera legibilis, quia vix cognoscebatur: *vidimus eum & non erat aspectus.* Il. 53. 2. sed fuit aspirationis nota, quando clamans voce magnâ expiravit. 2. in hac litera H. sunt tres lineationes: linea recta significat animam Christi rectissimam;

secunda linea retorta significat corpus Christi passibile, & retortum in cruce: tertia linea est titulus desuper, quæ significat deitatem litera I. significat bonum latronem, ad dexteram crucifixi: litera S. Sinistram latronem. S. Vinc. Ferr. f. in festo Circumcis. D.

§. IV.

Nomen Jesu Proficuum, Salutare.

Vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius. Il. 9. 6. S. Bernardus l. 2. in Circumcis. Consiliarium se exhibet in electione poenitentiae, & vitæ ordinatione; dum bonus latro in Christo divinitatem, in seipso peccata cognoscit, & dicit: nos quidem iuste digna factis recipimus. Sed quis eum illuminavit? quis consiliarius fuit? nomen Jesus exaratum in titulo. Ideo ut hoc noceret Lucas 23. utramque junxit historiam: *erat autem superscriptio &c.* v. 38. *Unus autem de his &c.* Et v. 39. prosequitur narrando ejus conversionem. apud Sylveiram in Luc. 2. q. 11.

In umbra tua vivemus. Thr. 4. 20. Orig. hom. 8. in umbra, id est, in nomine Jesu, vel in Humanitate, & carne ejus, sub qua, quasi umbra divinitatis vitam accepimus spiritualem. apud Cornel. hic.

Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Joel. 2. 32. Quis unquam, qui hoc nomen invocavit, periit? quis hoc nomen invocans à Deo exauditus non fuit? S. Bonavent. l. 25. de Circumcis. D.

Oriens nomen ejus. Zach. 6. 12. id est, velut sol irradians humanam mentem. Roboratur spiritus in virtute hujus nominis ad omnia aspera perferenda. Licet ipsum imprimere sub triumphali titulo, & beneficio Passionis. S. Bernardus l. 49. Art. 2.

Nuntiavit Judæis, quia Jesus esset. &c. Joan. 5. 15. Antè cùm sanatus esset, & lectum tolleret, Medici sui nomen ignorabat v. 13. Ubi perfectam ei animæ salutem concessit; tunc agnoscit, & prædicat, Jesum esse. Sylveira hic.

Ille homo, qui dicitur Jesus, lutum fecit &c. Joan. 9. 11. Appositè cæcus referens oculorum illuminationem, Nominè Jesu memoriam gessit. E nomine enim Jesu salus omnium exoritur, cunctarum ægritudinum medicina. Escobar t. 1. mir. ch. 13. S. 2. obs. 1.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Joan. 16. 23. Solum hujus Unigeniti Filii nomen, quod est Jesus Christus, necessarium universæ orationis est vehiculum, quò in cælum directo cursu perlata consistat ante Patris conspectum; salutemque de sinu ejus, & gratiam, sugere valeat remissionis peccatorum. S. Rupertus l. 12. hic.

Ego sum Jesus. Act. 9. 5. Cur non ait: ego sum Deus, vel Filius Dei? sed Jesus tantum? Petrus Blesens. f. de convers. S. Pauli: poterat expressisse, quis esset, majestaticis, & terribilibus, verbis; ut diceret: ego sum *Deus ultionum*, Pl. 93. 1. his noluit uti: sed lenitate, ac mansuetudine, cum suaviter alliciebat ad fidem, & spem,

& pem, propositò nomine Jesu, qui est mitis, & humilis corde. Secundo: sub Salvatoris nomine vult maxime agnosci, & manifestari: nam Dei nomine significatur ejus majestas, quâ nos creavit; Salvatoris vero ejus beneficentia, & pietas, quâ nos redemit. Tercio: ad Pauli ferocitatem, & sevitiam, subjiciendam obijcitur ei Sanctissimum Jesu nomen: quia nihil eò efficacius ad obstinatos animos vincendos. Sylveira hîc q. 10. Non Deum, vel Dei Filium, se vocat; sed Jesum. Ut videret, Jesu nomen infunditur, mentis tenebris ablegandis. V. Beda. apud Escoba tom. 1. mir. Chr. l. 3. f. 2. Obf. 1. Nihil dignius Creatore, quàm creaturâ suâ curare salutem. S. Hieron. ad Rom. 1. Ibid.

Quemadmodum fuit cera à facie ignis; sic demonum argumenta percunt ab invocatione nominis Jesu. Laurent. Just. de inter. conf. c. 5.

Habes in nomine Jesu, unde actus tuos, vel prâvos corrigas; vel minùs perfectos adimpleas. S. Bernardus l. 15. in Cant.

Qui vult cor suum purgare, semper illud recordatione D. Jesu inflammet. S. Diadochus de perfect. spir. c. 97.

Benedic Domine Jesu principio anni beniginitatis tuæ; quod principium tu corona misericordiâ, & miserationibus: quoniam illud tibi dedicamus, non fabuloso Jano bifronti. Sit hodierna sanguinis tui effusio expectationum nostrarum valida signatio. Joan. Gerson f. de Circumcis. D.

Quinque literas habet nomen Jesus: fortè, quòd illa quinque nomina complectatur l. 9. 6. *Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Admirabilis nascendo, Consiliarius vivendo Deus foris moriendo, Pater futuri sæculi resurgendo, Princeps pacis tanquam mediator ad Deum ascendendo. Incertus Author.

Olim, teste Sidorio Apollinari, pinxerunt solem tres radios cæteris fulgentiores evibrantem. Unum in prægrandem nivis globum, quem calore suo totum colliquefecit faciebat: alterum in arduam rupem, quem igneo velut jaculò diffindi cogebat: tertium in hominis cadaver, quod calore suo ad vitam revocare videbatur. Malachia 4. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitia.* Bonavent. f. 2. in festo S. Magd. frigida supra nivem sunt corda nostra, frigida verba, frigida sunt opera. S. Bernardus f. 15. in Cant: cui stetit aliquando antè faciem salutaris nominis duritia cordis? cui fons fortasse siccatus lacrymarum, in vocatò Jesu, non continud erupit uberior, fluxit suavior? Id. ib. labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando; nonne, si invocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam? Nadasi rosæ coel. de Sanctiss. Nom. Jesu. Ut quis per medios militum cuneos, per frequentes excubias nocte intempellâ, securus in castris transeat, militari tessera opus duntaxat est. In supremo agone tesserati cò Jesu nomine instructus omnes inferorum in-

fidias intrepidus penetrabit. Joel. 2. 32. *omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Lyraus imit. Chr. pat. Hugoni. à S. Vict. tria vota erant. 1. ut cibus ejus ultimus esset Sanctiss. Eucharistia. 2. ut ultima ejus cogitatio esset de Passione Christi. 3. ut ultimum verbum esset dulcissimum nomen Jesu. Ludolphus à Saxonia celeberrimus, ac Sanctissimus Scriptor Carthus. de vita Christi p. 1. c. 10. de Circumcis. sicut hîc per gratiam baptismalem à Christo dicuntur Christiani; sic in coelesti gloria à Jesu dicemur Jesuitæ. Idem scribit Hugo, Card. in c. 2. Apoc. Nadasi citatus.

Aqua quacunque, medicinalis. Lem. *Vis in minore major.* (distillata scilicet) S. Bernardinus tom. 2. f. 49. omnia, quacunque Deus pro salute humana ordinavit, in Jesu nomine comprehenduntur. Picinelli.

§. V.

Nomen Jesu delectabile, dulce.

De anima mea: salus tua ego sum. Pl. 34. 3. Jesus tuus ego sum: nam quid Jesus, nisi salus? Nonne sic tibi loqui videtur David Deo? Satis dixisti: ego Dominus, ego omnipotens, ego iustus, ego terribilis. Abscondantur, obsecro, hæc nomina potestatis, & exhibeatur nomen gratiæ, & benignitatis; & dic: ego Jesus. Gerson f. de Circumcis.

Vocatum est nomen ejus Jesus. Luc. 2. 21. Jesus est nomen admirabile, quia Dei altissimi, est nomen delectabile, quia Patris benignissimi; est nomen utile, quia Medici probatissimi. S. Bonavent. f. 25. de Circumcis.

Apocalypsis Jesu Christi. Apoc. 1. 1. Cur Sanctissimum nomen fronti hujus libri apponitur? Quia totus prophetia est, prædicens varias persecutiones contra Christianos, crudelissimum bellum Anti-Christi: inde Fideles solandi, roborandi. Sylveira hîc q. 2.

Manna absconditum. Apoc. 2. 17. Est Jesus: qui poenitentes, & agonizantes in solitudine Mundi, & in certamine carnis, prælibatione quâdam, & dispositoriâ suavitatē, reficit, & delectat. S. Bernardinus f. 49. Art. 3.

Excitabar sermone illò (Hortensis Ciceron.) & accendebar, & ardebam: & hoc solum me in tanta flagrantia refringeat, quòd nomen Christi non erat ibi: quoniam hoc nomen, secundum misericordiam tuam Domine, hoc nomen Salvatoris mei, Filii tui, in ipso adhuc lacte matris tenerum cor meum pie biberat, & altè retinebat: & quidquid sine hoc nomine fuisset, quamvis literatum, & expolitum, & veridicum; non me totum rapiebat. S. August. Conf. l. 3. c. 4.

Nomen dilectum, nomen delectabile, nomen confortans peccatorem, & beata spei. S. Anselmus lib. de nom. Jesu. Senties dubitanter amoenitatem quandam spiritualem, & sapidam; non solum in corde, verum etiam in ore; quoties nomen hoc sanctum à te fuerit cum devotione prolatum. Habet enim virtutem sibi adhibi-

adhibitam, quæ affectum lætificat, mentem pascit, nutrit devotionem, disponit ad devotionem, animum invocantis illud. S. Laurent. Just. f. de Circumcis.

Quidquid dulcissimi Domini mei nomen decolorat, cor meum excoriat. S. Bernardus ep. 178.

Aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infunditur: insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Jesum: si disputes, aut conteras; non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus. Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. S. Bernardus f. 15. in Cantica. Vide ibi plura. Tristatur aliquis nostrum? veniat in cor Jesus, & inde saliat in os; & ecce, ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. ib.

O anima! sive scribas, sive legas, sive doceas, sive aliud quideunque operis facias; nihil tibi sapiat, nihil tibi placeat, nisi Jesus. S. Bonavent. 3. solenn. de impos. nom.

Tempore Anti-Christi nemo audebit Christum, nec Mariam, nominare sub pœna mortis. S. Vincent. Ferr. f. 3. D. 2. Adv.

S. Julianus Anachoreta ita lacrymabatur, ut in lectione spiritualium librorum, ubi scriptum erat Deus, aut Dominus, aut Jesus Christus, vel Salvator; literarum elementa delicta reperiuntur. S. Ephrem de eodem.

Sicut graviter æstuanti, & longò sitis ardore succenso, fons frigidus salubris, & gratus, efficitur: sic mentibus iniquitate depressis nomen Jesu culpæ gravedinem, & peccati mœrorem, expellit. S. Bernardinus f. 49.

Nomen Jesu est refugium poenitentiae scilicet contra malum culpæ: quis enim peccator non timeat nomen potentiae? quis non paveat nomen divinae iræ? aut quem non terreat nomen furoris Dei? aut cum nominari audit Dominum ultionum? sed ecce nomen Jesu dulce refrigerium; in quo exinanitur potestas, seu majestas; dulcescit pietas; & Dei & magna misericordia demonstratur. Id. f. 49.

O quanta dulcedo desillare videtur è labiis parvuli innocentis; quando doctus à devota matre, non valens adhuc addiscere Pater noster, & Ave Maria, cum reverentia nominat nomen Jesus. Id. ib.

S. Boifilo Præposito Monasterii in Scotia, crebra in ore erat nominis Jesu usurpatio: de quo tam tenerò animò, & uberè fletu, cogitabat, & loquebatur; ut in fletum ipsos quoque Auditores induceret; illud sæpetenerrimò

animi sensu repetens: quàm bonum habemus Jesu? Boll. 23. Jan.

Henricus Suis ord. Prædic. ex ardenti amore Christi, nomen Jesu cordi suo stylo imprimit; quod ad mortem usque tulit: quoties cor motum fuisset, unà etiam nomen ipsum movebatur. In quodam mentis excessu vidit in corde suo crucem auream multis gemmis intertextam, in quibus mirò decore nomen Jesu luculenter apparebat. Boll. 25. Jan. c. 5.

§. VI.

Nomen Jesu bonora, invoca, pronuntia.

SOL nò movearis. Jo. 10. 12. Stetisti quondam sol victores Hebræos præstolatus: Jesu Ducis imperium reveritus es, Domini nomen in confervo honorans. S. Basilus Seleuc. f. in Transf. D.

Memor fui nocte nominis tui Domine. Ps. 118. 15. Hoc nomen (Jesus) invocetur diebus, ac noctibus: nullum tempus prædicandi vacuum sinat sancta devotio præterire, S. Ambros. hic.

Ubi est ille? Joan. 7. 11. Vide nunc genimina viperarum, quando sæviant veneni præcordialis ardore; dum non dicunt, ubi est Jesus? sed ubi est ille? Nunquid enim ejus, quem quærebant interficere, poterant nomen nescire? Ergo cordis illorum habitator homicida diabolus sic eos agebat; ut, odio distante, nomen salutis non possent, imò nollent, attingere. S. Rupertus in Joann. 1. 7. c. 7.

Scriptum est titulum Pilatus &c. Joan. 19. 19. Sanctissimum nomen Jesu divinâ dispositione non pronuntiat ore Pilatus; sed manu scribit: nam licet ipse rotus sordidus; manus tamen tota erat. Sylveira c. 8. in Luc. 1. 63.

Domine Jesu? suscipe spiritum meum. Act. 7. 58. In articulo mortis sanctissimum nomen Jesu dicit; ut nos in eodem moriamur. Sylveira hic.

Observârunt viri pii, Apostolum suis in epistolis usurpassè Jesu venerabile nomen ducenties decies nonies. Nadasi anno dier. memor. In S. Joannis scriptis ducenties quinquagesies. Id. Ros. cœl. Nomen Jesu.

In corde B. Catharinæ Raconis hæc argenteis literis inscripta: Jesus spes mea. Nad. Ros. cœl. ib.

B. Sanctuccia, prius matrimonio juncta, dein Abbacissa, filiolum nomine Juliam peperit, quæ, ut primum in lucem venit, cum in primo balneo lavaretur, articulata voce dixit: Jesus Maria. Boll. 21. Martii.

TITULUS V. NOVITATES.

§. I.

Christus D. eas vitat.

Cum jejunasset quadraginta diebus &c. Matth. 4. 2. Cur Christus elegit ad jejunandum numerum quadagesimum? Ne excessus jejunii pariat admirationem, & quid inauditum introducat. Poterat enim Christus jejunium Moysis, & Eliae, transcendere; sed, pro singularitate vitanda, noluit. Id. c. 3. hic q. 8.

Penitentiam agite. Matth. 4. 17. Cur Christus D. iisdem Joannis Matth. 3. 2. verbis suam inchoat prædicationem? Cajet. hic. Observandum, quod Jesus ab eadem materia inchoat suam prædicationem, à qua inceperat Joannes: tum quia Joannes præparatione, Jesus verò perfectione, hanc materiam prædicationis: tum ad confirmandam prædicationem Joannis: tum ad exemplum nostrum; ut non dedignemur inchoata ab aliis, etiam minoribus, bona prosequi. Sylveira l. 3. c. 1. q. 20. de Joanne prædicante.

Non veni solvere legem. Matth. 5. 17.

Alii Joannem Baptistam &c. Matth. 16. 14. Cur dicunt eum unum ex defunctis Patribus? Venit Christus novas homines in hunc Mundum; cur non dicitur, & judicatur, novus homo? Fugiebat novitates: eosque mores in suis actionibus exhibebat, qui jam erant in aliis agniti. Id. in Joan. 5. q. 19. Nemo in Jesu cornebat, quod non veterum moribus confirmatum. Bæza t. 2. l. 10. c. 5.

Deprecabantur eum, ut imponat illi manum. Marci 7. 32. Cur impositione manuum Christus hunc miserum sanat? R. Veterum morem Christus tenere voluit, qui idem fecerunt: ut Elias, & Elizeus 3. Reg. 17. 21. 4. Reg. 4. 34. Sic optat fieri leprosus Naaman 4. Reg. 5. 11. Sylveira hic. q. 5.

Quæcunque ille (Pater) fecerit, hæc & Filius similiter facit. Joan. 5. 19. Cur unus tantum sanatur à Christo? sicut angelus unum sanat, ita & Dominus; nec plures, licet pos-

set. Unde arguuntur, qui in suis actionibus novitatem affectant, & supra alios aliquid addere conantur. Sylveira hic q. 19.

Expuit in terram, & fecit lutum. Joan. 9. 6. Sumpsit Dominus lutum de terra, & plasmavit hominem: quapropter Dominus expuit in terram, & fecit lutum, & superlinivit illud oculis; ostendens antiquam plasmationem. S. Irenæus l. 5.

Maria Unxit pedes Jesu. Joan. 12. 3. Ne peregrinæ adinventionis studeas superinducere novitatem: nam & ipse, qui est Magister Angelorum, in cælo, morem in terra tenuit, quem invenit; nec designatus est, terrenam servare consuetudinem. Nam cur sibi caput, & pedes, unguento conspergi muliebris ministeriis passus est? nisi, quia Palæstinæ, atque Judæicæ, regionis mos erat, ut ejus accolæ crebrius ungerentur, Petrus Dam. ep. 106.

§. II.

Alia Motiva eas vitandi.

Deus Patrum nostrorum. Judith 6. 17. Cur Bethulienses inchoant sermonem hoc titulo? Est frequentior in Scriptura. Ex. 3. 15. Deut. 1. 11. Jos. 18. 3. Act. 3. 13. Credo Hebræum hac loquendi formā laudatum ab antiqua fide, ac monitum, ne à sacra parentum via abeat. S. August. lib. de anima: semper viris sanctis suspecta novitas. Velloso hic Pat. 12.

Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? Matth. 15. 2. Non erant traditiones Majorum; sed depravationes ab eis inventæ, quas colorare volebant nomina majorum, ad introducendas suas novitates, semper enim sanctionum novitas placet improbis. Unde Paulus 1. Timoth. 6. 20. *devians profanas vocum novitates.* Sylveira addit in Matth. hic.

Habet hoc proprium humanæ mentis fragilitas; quod promptius novitatibus, quam summis veritatibus, delectetur. Sim. Cass. lib. 9. c. 34.

TITULUS VI. NUPTIÆ.

Converse sunt nuptie in luctum. 1. Machab. 9. 41. Sic sæpe in Mundo plausus vertitur, & extrema gaudii luctus occupat. Cornelius hic.

Vocatus est autem & Jesus ad nuptias. Joan. 2. 2. Felices nuptiæ; felices illæ, quibus Christus est præfens; non luxu, sed virtutibus consecrantur. S. Chrysost. l. 157. Vocant om-

nes Christum ad nuptias; ut aut eas ex toto castificent; aut nihil in iis agant, quam Christiferam deceat sanctitatem. Sim. Cass. lib. 5. cap. 1.

Non tantum boni est in nuptiis, quod speramus; quantum mali, quod accidere potest, & timendum est. S. Hieron. ep. 111.

Vide plura Matrimonium.

Polyanth. Sacra, Tom. II,

A a

Ti-